DE INSANIA

COMMENTATIO

SECUNDUM LIBROS HIPPOCRATICOS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

AUCTORE

HERMANNO NASSE,

M. D.

LIPSIAE,

APUD C. CNOBLOCH.

MDCCCXXIX.

GRATIOSO ET ILLUSTRI

ORDINI

MEDICORUM

HUIUS ACADEMIAE

D. D. D.

Auctor.

VIRIS DOCTISSIMIS, PROFESSORIBUS ILLUSTRISSIMIS, PRAECEPTORIBUS MAXIME DILECTISSIMIS SALUTEM!

Vobis hoc opusculum dedicare ausus, inprimis veniam Vestram, iam saepius grato animo a me expertam, exorare me oportere bene sentio, quum haud sim ignarus, neutiquam omnia in eo laude Vestra esse digna. Verum tamen fugere Vos nequit, materiam hanc non ab omnibus difficultatibus liberam esse; quam de industria nihilominus ante ceteras elegi, iuvenis magis esse arbitratus, qui e propria experientia multa nondum possit haurire, experimentaque ab eo instituta auctoritate adhuc careant, si prisco more scriptionem quippe specimen eruditionis, quae auctorem etiam veterum medicorum operum non imperitum ostendat, proponeret. Multo sane facilius fuisset e thesauro adversariorum patris optimi aut clinicarum annalium dignas

quae innotuerint, observationes collectas in ordinem redigere aut commentationem de sanguinis utriusque generis discrimine, a Vobis praemio ornatam, edere. Dein, Viri illustrissimi, memineritis, quaeso, iuvenile esse hoc opus, nec ullo alia ex causa quam grato animo ductum Vobis hasce plagellas sacras esse velle. Quapropter ut iis faveatis, rogo optoque.

INDEX ARGUMENTI.

INTROITUS.

Praecepta Hippocratis de deliriis iam satis nota et systematice composita sunt [1]); sed de eius insaniae doctrina opusculum, quod disiecta membra, quamvis pauca sunt, contineret, hucusque deest. Itaque arbitror, forsan operae pretium esse, omnia, quae in Hippocraticis libris de insania passim leguntur, observata et docta in unum atque systematicum ordinem redigere.

In retractandis scientiarum primordiis, nominatim quod nos attinet, Hippocraticorum scriptis comparandis, caute agendum est, ne maiorem dictis sensum subiiciamus, quam fieri licet; non ita ut aliorum instar Hippocratem tanquam vatem ducentes librosque eius sicut oraculorum sacrorumque collectionem arbitrantes, operam nobis demus demonstraturi, ab inde illius tempore in nostra re nihil novi repertum dictumque esse. Altera vero ex parte procul absit, quin eum minori verecundia, quam fas est, aestimemus; immo potius Hippocratis sententias contra obtrectatores defendamus, quam ut in horum partes discedamus.

Sicut ea, quae in Hippocraticis libris de insania occurrunt, a praeceptis posteriorum differunt, ita iam in libris ipsis Hippocraticis accidit, ut ibi inter se diversae opiniones proferantur, quae plures et ad tempus non aequales eorum auctores fuisse demonstrant. Quorum scripta discernantur oportet et inprimis genuina Hippocratis scripta a spuriis eius discipulorum; multo plura tamen ex his, quam ex illis hauriemus. Itaque nobis proposuimus, quoties Hippocratem laudamus, toties illum librum, ex quo citavimus locum, accurate indicare. Praeterea locos ex genuinis scriptis sumtos priores posui, neque raro, in quibus haec

---

1) cf. Hippocratis doctrina de deliriis. Diss. inaug. auctore E. H. Döring. Marb. 1790.

a spuriis differant, ostendi. Attamen ubi consentiunt, ubi facta enumerantur, quae vera sunt, atque perinde veteris illius Hippocratis, ac posteriorum Hippocraticorum esse possunt, omisi tempora tam accurate discernere. Quod theorias attinet, haec distinctio maioris est momenti. Tamen ne priores quidem libri integri prorsus sunt, sed variis Alexandrinae scholae additamentis deformati. Si Sprengelius [2]) censet, Galenum inter omnes esse audiendum, sensumque, quem aphorismis dictisque Hippocratis subiiciat, verum habendum esse, quia eius tempori proprior eum melius intelligere potuerit; altera ex parte quidem hoc verum esse negari non potest: altera vero praetermitti non debet, aequales Galeni eumque inprimis ipsum ita theoriis refertos fuisse, ut ubique omnia ex iis explicare studerent. Ubique Galenus verba de humoribus in corpore, de pituitoso humore et praecipue de flava atraque bili, quam pro omnium gravissima habet, in commentariis ad Hippocratis libros facit, et locos, qui critica indigeant explicatione, ut aphorismum V, 56, prorsus transit. Ea de re vero bene meritus est Galenus, quod genuinos a spuriis libris discernere studens, multa, quae postea adiecta sunt, investigavit.

Priusquam nostrae quaestionis initium facimus, ut melius res perspiciatur, dicamus, qui ex illis Hippocraticis libris, quos in nostra commentatione commemoramus, genuini habeantur, et Hippocrati, Heraclidis et Phaenaretae filio, qui Hippocrates secundus appellatur, attribuantur. Genuini sunt ex illis, quos laudabimus: 1) aphorismorum lib. I—VII. — 2) de diaeta acutorum lib. — 3) morborum vulg. lib. I. et III. — 4) de aëre, aqua et locis lib. — 5) prognost. lib. — 6) prorrhet. lib. I. — 7) de capitis vulneribus lib. — 8) de medicina prisca lib. — 9) de natura hominis lib. — et 10) coac. praenot. lib., quorum ultimi duo libri (9 et 10) ex parte spurii sunt.

Postremo adhuc nobis commemorandum esse videtur, ne false accipiatur, nos sub *insaniae* nomine in universum alienationem mentis chronicam intelligere, et solummodo, si insaniam febrilem dicimus, delirium significare velle, quibus verbis optime graeca exprimere putamus, ut infra clarius cognoscendi occasio erit.

---

2) cf. *Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneykunde. Halle* 1821. 1r *Th. p.* 368.

Caput I.

Quaedam praemissa ex iis, quae Hippocratici de ratione animi et corporis in statu sano statuerint.

Quae ab Hippocrate ejusque schola de animo, huiusque sede et cum corpore connexu dicta sunt, paucis etiamsi verbis, praemittantur necesse est, priusquam ad explorandum, quomodo alienetur mens ex corporis affectione, nos accingere possumus. Sufficiant jam illa, quae ad sequentia intelligenda cognoscere opus est. Omnia fere haec tantum ex spuriis libris haurire potuimus, quia primus ante omnes ex Hippocratum familia praeceptor, ea magis, quae experientia praebet, collegit.

Sunt secundum Hippocraticos [3]) quatuor in corpore humidi formae, ex quibus morbi oriuntur, qui nulla externa vi fiunt. Hae vero sunt pituita, sanguis, bilis et aqua (*φλέγμα, αἷμα, χολὴ* et *ὕδρωψ*). Humor inter hosce, si respexeris animi et corporis vitam, longe maximi momenti ad eamque necessarius ex illorum vetustorum medicorum opinione est sanguis, qui per pulmones excipit *τὸ πνεῦμα*, quo vita sustentatur, et quod in corpore est omnium membrorum maxime calidum [4]). Ut ad corporis vitam, sic quoque ad animi integritatem multum conferre putabatur, ita ut dicatur: »sanguis, qui in homine existit, multum, ut alii dicunt, totum ad prudentiam (*φρόνησιν*) confert [5]).« Sanguinis permutationes somnum et ebrietatem producunt, nam in universum intelligentiam (*σύνεσιν*) immutant [6]). De his in pathogenia [7]) plura. Causam vero, quae talem vim praeberet, pro spiritu (*πνεῦμα*) habebant, quod cum sanguine

---

3) cf. Lib. de morb. IV. p. 498. (Edit. Foes.)

4) cf. Lib. de carn. Sect. III. p. 250.

5) cf. De Morb. Lib. I. Sect. V. p. 460 v. 37.

6) cf. De flatib. p. 300: *αἱ τοῦ αἵματος ἐξαλλάγαι τὴν φρόνησιν ἐξαλλάσσουσιν.*

7) infra Cap. X.

circulatur, et illam claram perceptionem prudentiamque efficit, quam ab humoribus turbari putabant.

Haec Hippocraticorum de sanguine doctrina eam ob causam tanti est momenti, quia in ea discrimen inter illorum et Galenicorum scholam contineri credunt, cum his sanguis succus multo inferioris momenti sit, et cerebrum per se solum animum constituat.

Cum sanguine cohaeret cor, et cum πνεῦμα in sinistram cordis partem primum veniat, etiam de sinistro cordis ventriculo praecipue, quae de cordis ratione dicta sunt, valent. De eo auctor libri, qui inscribitur de corde [8]: »hic sunt fontes humanae naturae, unde vita homini affertur,« et paulo infra mens dicitur in sinistro corde sedem habere [9]).

Alia est opinio, in lib. de morbo sacro prolata, quae non prorsus cum illa congruere videtur, quia cordi inferiores ibi tribuuntur partes, et sedes intelligentiae sive mentis (φρόνησις) in cerebro ponitur, ita ut cordi et septo transverso (φρένες) nil nisi sentiendi facultas remaneat. Sentit cor cum quis dolore aut molesto aliquo sensu contrahitur, et inde corpus inhorrescere et distendi necesse est; idemque contingit, si quis summo gaudio afficitur. Falsam igitur esse probatur opinionem corde nos sapere, neque huic neque septo transverso prudentiae jus esse [10]). Paulo ante enim demonstrare auctor studuit, cerebrum unicum esse organum, in quo sedeat mens. »Cerebrum,« ex illius opinione, »si sanum est, nobis, quae ab aere (ἀὴρ) fiunt, indicat. Prudentiam vero aer subministrat [11]).« »Intelligentiae cerebrum internuntius [12]) est; id cognoscit, quae cetera organa administrant, et cerebro nempe, quidquid habuerit spiritus prudentiae et intelligentiae, relinquitur.« Et paulo infra [13]) totum cerebri officium hisce verbis indicatum est: »Cerebro deinde praecipue

---

8) p. 299. Ed. Foes., quae ubique hic spectatur.

9) ibid. v. 57: γνώμη γὰρ ἡ τοῦ ἀνθρώπου πέφυκεν ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ.

10) De morb. sacr. p. 310. v. 5. sq. — et v. 11: διότι ἡ καρδίη αἰσθάνεταί τε μάλιστα καὶ αἱ φρένες· τῆς μέντοι φρονήσιος οὐδετέρῳ μέτεστιν.

11) ib. p. 309 v. 28.

12) ib. v. 42: ἐς δὲ τὴν σύνεσιν ὁ ἐγκέφαλος ἐστὶν ὁ διαγγέλλων.

13) ib. p. 308. v. 37.

sapimus et intelligimus, audimus et videmus, et cognoscimus, discernimus et percipimus« Breviter haec initio tractatus de insania, qui invenitur inter Epistolas, hisce verbis dicta sunt: »in cerebro animi officia [14].«

Talia non in genuinis libris de cerebro docentur; quare colligere licet, illos, ex quibus opiniones modo protulimus, multo posteriore tempore scriptos esse. Solus locus, qui in genuinis scriptis de illius organi ad animum ratione invenitur, cerebrum, et quidem sinciput, vulnera in carne et ossibus facillime sentire, quia ibi ossa tenuiora sint [15]), nos docet.

Praeter has iam commemoratas de mentis (*φρόνησις*) ortu et sede sententias, alia adhuc nobis in libris Hippocraticis spuriis obviam venit, secundum quam animus (*ἡ ψυχὴ*) ex ignis et aquae contemperatione exoritur, et quidem ex maxime humida ignis, et maxime sicca aquae parte animi prudentia efficitur [16]). Eo extensior theoria de ortu insaniae, ut postea videbimus, innititur.

Caput II.

Ratio generalis inter corpus et animum in huius morbis secundum Hippocraticos.

Ex his praeceptis, quae ex libris Hippocraticis protulimus, sequitur, quod vulgo notum habebatur, animum cum corpore arcte

---

14) p. 1286.: *ἐγκέφαλος, ἐν ᾧ ἐστὶ τὰ τῆς ψυχῆς ἔργα.*

15) p. 897.

16) De diaeta p. 347 v. 15: *ἡ ψυχὴ τοῦ ἀνθρώπου σύγκρησιν ἔχουσα πυρὸς καὶ ὕδατος·* — Dein ibid. p. 350, v. 46: *περὶ δὲ φρονήσιος ψυχῆς καὶ ἀφροσύνης ὀνομαζομένης, ὧδε ἔχει· πυρὸς τὸ ὑγρότατον καὶ ὕδατος τὸ ξηρότατον, κρῆσιν λαβόντα ἐν τῷ σώματι, φρονιμώτατα. διότι τὸ μὲν πῦρ ἔχει ἀπὸ τοῦ ὕδατος τὸ ὑγρὸν· τὶ δὲ ὕδωρ, ἀπὸ τοῦ πυρὸς τὸ ξηρόν* et sqq. — Postremo ib. p. 351. v. 1.: *ἐκ τούτων* (ex igne et aqua) *δὲ ἡ ψυχὴ συγκρηθεῖσα, φρονιμωτάτη καὶ μνημονικωτάτη.*

cohaerere, et ex huius bona valetudine animi sanitatem provenire, et aegroto corpore animum quoque per sympathiam affici. Ita Democritus in epistolis ad Hippocratem [17]: »vehemente corporis praesente morbo intelligentia quoque per cognationem affecta aegrotat.« Nominatim de illa conditione hoc edicitur, ubi nimia pituitae atque bilis copia sanguini admixta est. Pertinet quoque ad nostram rem memoratu dignus ille in lib. VI. Epid. [18] locus, ubi ratio, qua epilepsia transeat in melancholiam, designatur. Tum enim, quum epilepsia, quae corporis affectus nominatur, mentem (διάνοια) afficit, insania, melancholica scilicet, exoritur; melancholia igitur per sympathiam ex corporis morbo provenit.

Etiamsi Hippocraticorum diligente animi conditionum observatione, quam instituisse ex admonitionibus [19] eas observandi et explorandi, et ex normis [20] animi affectus observandi propositis apparet, re vera scientia morborum animi apud eos eo pervenit, ut phaenomena animi affectuum omnino e corpore oriri haberentur; tamen altera ex parte, cum corporis humani cognitio, tum physiologia, quum eius fundamentum, anatomia, adhuc exigua esset, abesse non potuit, ut explicatio, quomodo animi affectiones a corpore penderent, varia et hypothetica ratione fieret. Itaque etiam theoriae bilis et pituitae, ignis et aquae et aëris in venis facile excusandae sunt.

Ea opinione, ex qua quisque animi affectus a corpore pendeat, priorem de insaniae natura, tanquam morbi divinitus missi, tolli oportuisse, facile elucet. Nullus igitur locus in Hippocrate invenitur, quo insania ab ira deorum profecta describatur; immo potius de morbo sacro demonstrare studet libri de illo auctor, illum aeque corporis morbum esse ac ceteros omnes alios, ideoque nullum in illo exorcismum conducere posse. Eodem modo Scytharum morbus, apud quos

---

17) p. 1289. v. 1.: *νοῦσος γὰρ παρεοῦσα, δεινῶς ψυχὴν ἀμαυροῖ, φρόνησιν ἐς συμπαθείην ἄγουσα.*

18) pag. 1201.

19) De humor. lib., pag. 49.

20) De morb. vulg. lib. VI. p. 1200.

ob sterilitatem viri complures mulierum persona se indutos censebant, non divinae originis esse demonstratur; »omnem enim morbum divinae originis quodam sensu esse, nec quidquam fieri citra naturam.« Deinde origo huius conditionis ex Scytharum vivendi ratione explicatur [21]).

Plato ipse de sacra maniae natura adhuc aliud censet, ut passim apud eum legi potest. Vocum enim *μανίας* et *μαντικῆς*, quarum utraque a *μαίνεσθαι* derivatur, cohaerentiam non parvi aestimat, ideoque maniam cum divinandi facultate cohaerere putat, et hanc ob causam alteram maniae speciem deorum donum, quod multa bona hominibus afferat, esse posse [22]).

Clarissime elucet ex rationis expositione, qua oriri solet insania, causam eius ab Hippocraticis semper in corpore sitam accipi. Perturbatis maximi momenti corporis organis, cerebro scilicet, corde et quod veri est simile etiam sanguine per se, non inde consecuta cerebri affectione, mania et melancholia secundum illos exoriuntur. Habet enim, ut dicitur [23]), in insaniae impetu plurimam vim hominis cerebrum. Sicut cor, torpore affectum, alienationem mentis efficit [24]), ita animi concitationes illud iterum valde afficiunt. »Cor et pulmones iracundia afficiuntur et in se ipsos contrahuntur ducuntque in cerebrum humorem et calorem; quies autem languefacit cor [25]).« Cor et septum transversum partes nominantur in loco ex libro de rebus virg. petito: »ad delirium et maniam opportunae [26]).«

---

21) Lib. de aere, locis et aqua p. 293, v. 10. *ἐμοὶ δὲ καὶ — γίγνεται.* — Cf. deinde Gesneri de divino Hippocratis Diss. Gött. 1739. cap. XXVII. et seqq.

22) Phaedr. ed. Hr. Steph. p. 244: *τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν γίγνεται διὰ μανίας, θείᾳ μέντοι δόσει διδομένης.*

23) Liber de morbo sacro p. 309.

24) De rebus virgin. pag. 562.

25) Lib. de morb. vulg. VI, pag. 1184. *Ὀξυθυμία* etc.

26) L. c. v. 53: *καὶ ὁ τόπος ἐπικαίρος ἐς τε παραφροσύνην καὶ μανίην ἕτοιμος.*

Caput III.

De animi parte, quae in insania affici habita sit, et de insaniae generali nominatione, quae inde sequatur.

In libris Hippocraticis non talis locus ut in Galeno occurrit, qui definiat, quae animi partes in insania praecipue et primarie affectae habeantur, nedum quomodo variae insaniae species inter se secundum animi affectionem distinctae sint. Num Galeni morborum animi divisio, quae consistit in laesione facultatis imaginandi, ratiocinandi et memoriae[27]), iam Hippocraticorum fuerit, iure dubitare licet. Atque, si oculos vertimus in psychologos nostratum, quibus adhuc semper magna est controversia, qualis propria sit in insania affectio primaria omnibusque eius speciebus necessaria, vitio certe illis Graecis non est, quod sese abstinuerunt ab hac difficili re exponenda. Solummodo conclusionis ex verborum de insania usitatorum ope nobis aliquo modo succedet, ut eruamus, quam habuerint Hippocratici simulque omnes eius temporis Graeci de natura insaniae opionem. Nam, ut mox nobis fusius de hae re sermo erit, ἡ διανοία, αἱ φρένες, ἡ γνώμη fuerunt, quas agrotare in vesanis putavisse videntur. Quod si verum est, mirum in modum consentit cum iis, quae nostratum psychologorum medicorumque pars persuasa sibi habent, qui mentis, intelligentiae, intellectus, rationis affectum primarium, omnibusque insanis communem esse putant. Galenus vocibus, modo enumeratis, eandem animi facultatem significari nos docet; et γνώμη et διάνοια ei prorsus eadem valent[28]). Quod etiam aliorum, illo priorum, usu scriptorum confirmatur, et Hippocratis genuini ipsius. Ita apud hunc in Aph. VI. 6. γνώμη nihil aliud quam ratiocinatio vel mens est, et νάρκωσις γνώμης[29]) idem significat, quod νάρκωσις διανοίας, hebetudinem nempe intelligentiae, torporem mentis, qui in

27) De sympt. differ. cap. 3. (Edit. Frob. T. III. p. 41. B.)

28) De arte medic. p. 664. v. 38.

29) Aph. V, 16.

febribus aegrotos occupat [30]). Perturbari possunt ἡ γνώμη et ἡ διάνοια et acute et chronice; affectio animi, quae sequitur, si mens (διάνοια) laeditur, nominibus: ἄνοια et παράνοια designatur, quorum hoc totum insaniae genus amplectitur. Ita quoque ἡ γνώμη non in insania chronica solummodo, sed etiam in deliriis laborat [31]): ἡ γνώμης νοῦσος iam im Aphorismis [32]) idem est, ac quisque morbus animi (mentis); et αἱ γνῶμαι ταραχώδεες [33]) idem significant, scilicet mentis perturbationes, et quidem, ut mihi videtur, cum de chronico morbo sermo est. Non nisi unico in loco, in libro de alimento [34]), qui unus ex novissimis Hippocraticis libris esse videtur, praeter intellectum etiam αἱ φαντασίαι commemorantur; sed nullo modo earum affectionem in insania inveniri, neque in ea opus esse dicitur; nam in universum illa ex positione, qua occurrunt hae voces, ne minimum quidem concludere licet; quia in ea mirum in modum animi et corporis symptomata, adeo morbi, sine omni ordine collocati sunt. Disceptandi igitur adhuc locus esset, num Graecis, et nominatim in nostris scriptis, φαντασίαι ad mentem (διάνοιαν) pertinere visae sint. Sin affectus animi melancholicorum solum in mente, ut audivimus, ab iis ponitur, licet nullo modo negari potest, melancholia laborantes phantasiis vehementissimo saepe modo, ut daemonomania affectos, qui ab Hippocraticis iam describuntur, cruciari, phantasias ab iis ad διάνοιαν relatas fuisse, suspicari licitum est.

Ut in melancholia, ita etiam in delirio eandem animi facultatem, intellectum scilicet (διάνοιαν), aegrotantem habuisse Hippocratici videntur, quod evinci posse credo ex loco quodam in Lib. de morb. vulg. VII., in quo aegrotus quidam, de quo paulo ante narratum erat, cum diebus praeteritis delirasse [35]), traditur ante mortem, quantum attinet ad

30) Coac. praenot. p. 459. v. 12.

31) Epid. VI, sect. 8.

32) Aph. II, 6.

33) Coac. praenot. p. 168, v. 4.

34) p. 381, v. 54.

35) L. c. p. 1212. delirium παραλήρησις dicitur.

intellectum (διάνοιαν) simili modo se habuisse [36]). Itaque etiam, quae delirio subest animi affectio, in mente (διάνοια) sita est [37]).

Multo rarius quam διάνοια et γνώμη, αἱ φρένες affectae dicuntur, quamquam secundum Galenum idem valent, ac νοῦς et διάνοια [38]). Φρένες sunt primum praecordia, quod alias et posteriore tempore διαφράγμα nominatur, et opinione veterum Graecorum, ex. gr. Homeri [39]), sedes mentis; unde cum hoc verbum φρονεῖν (i. e. sapere) cohaeret, quare Aristoteles [40]): φρένες, ὡς μετέχουσαί τι τοῦ φρονεῖν. In Hippocratis secundi (eum ita nominare nobis liceat) scriptis 1) quoque φρένες pro septo transverso dictae sunt [41]), ut etiam in posterioribus [42]), 2) sed quoque quod nostra praesertim interest, intellectum significant, itaque pro verbo διάνοια positae sunt; nam παραλλάξεις φρενῶν [43]) mentis alienationem indicare absque omni dubio est. — Cum in septo transverso (φρένες) igitur mens collocaretur, inde φρόνησις appellatus est intellectus, quae si turbatur aut tollitur, ἀφροσύνην [44]) gignit. Sub

36) ib. 1213. : καὶ τὰ περὶ τὴν διάνοιαν ὅμοια.

37) Hoc in loco non possum, quin mirer de *Esquirol*, qui in notis ad Hoffbaueri librum (*Médecine légale relative aux aliénés etc. par J. G. Hoffbauer, avec des notes par MM. Esquirol et Itard.* p. 356.) de Hippocrate haecce edicit: *Hippocrate avoit averti les praticiens, qu'il n'est pas toujours nécessaire, qu'il y ait désordre de l'intelligence dans le délire, qu'il suffit, que les caractères, les goûts des malades aient changé, sq.* Ubi, liceat mihi interrogare, haec leguntur? Plus quam verisimile mihi esse videtur, Esquirol ex Coac. praenot. hunc aphorismum (47) ante oculos habuisse: (sermo est de delirio febrili) »Praeter consuetudinem aliquid facere, ut verbi gratia, aliquid perpensius curare, et magno studio eniti, prius non consuetum, aut contra pravum et delirio proximum.« — Sed 1) non dicitur hoc iam delirium esse, sed solummodo πλησίον παρακοπῆς, prodromus igitur sequentis delirii, et 2) nullo modo illis verbis mentis alia affectio excluditur; nam sive adsint sive desint, prolata signa sequi delirium, pronuntiant.

38) Comm. I. in Prorrh. p. 171. v. 31.

39) Cf. *F. A. Carus, Geschichte der Psychologie.* p. 117.

40) De part. anim. L. III. cap. 10.

41) Coac. praenot. p. 440. v. 6.

42) De alim. p. 381. v. 49.

43) De morb. acut. p. 396.

44) De diaeta I., 356.

hac et mania et melancholia et stultitia intellecta esse videntur [45a]). In universum autem ἀφροσύνη, ut latinum verbum »imprudentia«, magis de illis hominibus dictum est, qui sana quidem mente, sed temere et imprudenter agunt, quam de insanis [45b]). Vera enim ἀφροσύνη, omnis prudentiae et intellectus privatio, ne in morbis quidem observatur, illamque animi conditionem, quae aliquo modo ita designari posset, amentiam scilicet, Graeci illo tempore sub hac voce non intelligebant. Itaque α privativum nominibus facultatum animi adiectum semper conditionem supra veritatem sitam significat, ideoque non bene naturam insaniae exprimere potest. Neque ergo verbis, cum α privativo compositis, Graeci generalem insaniae conditionem indicabant, sed vocibus, quibus praepositio παρὰ praeiecta est, hunc ad finem utebantur. Bene talia verba, ut παραφροσύνη, παράνοια, παρακοπὴ etc. perversam mentis directionem, deviationem a normali conditione, alienationem mentis exprimunt, secundum vim, quae praepositioni inest. Quod παράλλαξις (τῶν φρενῶν) loco supra citato exprimit, id iam παραφροσύνη praepositionis ope satis indicat, vis verbi ἀλλάσσειν, (aberrandi a recta conditione), iam voce παρὰ significatur. Ne facultatem animi quidem Graeci semper addere solebant ad mentis alienationem significandam: sic παχρούειν (inde παρακρούσις, delirium) quod proprie a recta via discedere est, de mentis febrili alienatione ubique usurpari solet; idem igitur est, quod delirare. Ita nos quoque; nostrum: *Irreseyn*, *Verrücktseyn* semper de mente valet. Illud »aberrare mente« ergo propriam in affectionibus conditionem significat, eam scilicet, quae omnibus insanis, chronicis et febrilibus, communis est [46]).

Cum ἡ διάνοια ea secundum nostram inquisitionem sit animi facultas, quae in omnibus insanis a Graecis aegrota habebatur, et cum deinde παρὰ, nominibus animi facultatem adiectum, illam mutationem animi iis indicet, quae insaniae naturam spectat, facile colligi potest, qualis nominatio ceteris amplior sit. Quam vera sint praemissa nostra,

45a) ib. paulo magis infra.

45b) Hanc significationem ἄφρων apud Ciceronem habuit, qui in Parad. IV. ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται i. e. quemque imprudentem revera mentis morbo laborare, ostendere studet.

46) Cf. de verbis παράνοια et παρακίνησις apud Platonem: *Lichtenstädt Platons Lehren S.* 166 *u.* 168., quae cum his, quae de Hippocrate dicta sunt, consonant.

ostendit in Hippocraticis libris verborum παρανοίας et παρακοπῆς usus, quae et delirium, et melancholiam acutam et chronicam, et maniam amplectuntur [47a]). Ita παρανοεῖσθαι de propter febrem delirante (ὑπὸ τοῦ πλήθεος τοῦ πυρετοῦ) dicitur [47b]); praeterea additur, quantum ad παράνοιαν attinet, phreniticos melancholicis similes esse [48]). Nisi latissima esset notione vox παράνοια, non liceret dicere, eam μανιώδης interdum fieri [49]). Eadem voce etiam illa melancholiae apud puellas species, quam nostrates daemonomaniam appellant, nuncupatur [50]). Deinde quoque insanis atra bile vexatis, quibus sanguis bile aut pituita corruptus est, et quorum mentis affectio melancholia certe ab Hippocraticis nominaretur, solummodo generatim παρανοίας nomine designantur [51]), etsi ipsi furientes ex illis nonnulli fiebant [52]).

Aeque lata ac παράνοια vox: παρακοπή, quae praesertim in Epistolis legitur, frui videtur significatione. Latius patere eius notionem, quam maniae, apparet, quod tum de ea narratur, eam ex bile redundante exoriri [53]), tum pro omni insania chronica (μανίη) posita est [54]), ita ut praeter maniam etiam melancholiam amplecti videatur. Praeterea verbum παρακόπτειν occurrit, pro delirare, mentis non compotem esse, dictum [55]). Neque desunt loci, in quibus etiam παρακοπή delirii significatione posita est [56a]).

47a) De morb. lib. I., p. 460. v. 49.

47b) Quamquam haec lata vocis »παράνοια« notio ab aliis iam (ut a R. Vogel) conjecta est, tamen alii arctiorem eam habuerunt, ex. gr. Arnold (*Beobachtungen über die Natur des Wahnsinns. Aus dem Englischen von Ackermann. Leipzig* 1784. I. *Th. p.* 39.) leviorem delirii gradum sub ea voce Hippocratem intellexisse contendit.

48) ib. v. 50: προσεοίκουσι δὲ μάλιστα οἱ ὑπὸ τῆς φρενίτιδος ἐχόμενοι τοῖσι μελαγχολῶσι κατὰ τὴν παράνοιαν.

49) De morb. mul. I. p. 607, v. 34.

50) De reb. virg. l. c.

51) De morb. l. c. v. 52.: οἵ τε γὰρ μελαγχολώδεις, ὁκόταν φθαρῇ τὸ αἷμα ὑπὸ τῆς χολῆς καὶ φλέγματος, τὴν νοῦσον ἴσχουσι καὶ παράνοιοι γίνονται.

52) ib. ἔνιοι δὲ (sc. τῶν παρανοίων) μαίνονται, καὶ ἐν τῇ φρενίτιδι ὡσαύτως.

53) Epist. p. 1281.

54) ibid. et p. 1286.

55) ibid. 1277.

56a) De iudic. p. 55. — Coac. praenot. p. 124. N. 47.

Fine huius capitis adhuc moneamus, verba παράνοια et παρακοπὴ nonnisi in spuriis libris inveniri, omnesque nostros locos ex illis petitos esse. Quantum hoc valeat pro definienda μανίης in genuinis notione, postea videbimus.

Caput IV.

De nomine et notione μανίης [56b]).

I. Μανίη, *insania febrilis.*

Non satis intelligo, quomodo Galenus dicere possit, Hippocraticos sub μαίνεσθαι et μανίη semper vehementem alienationem [57]), delirium sine febre (τὴν ἄνευ πυρετοῦ παραφροσύνην), intellexisse [58]), uti quoque Gorraeus et Foesius ita explicant; dum loci inveniuntur, ubi de μαίνεσθαι sermo est, quod certe febre correptos spectat. In aphorismis quoque μανίη legitur, quae cum acuto morbo cohaeret [59]). De hoc tamen aphorismo fateamur necesse est, eum, uti nunc legatur, medicis huius temporis non satis clarum esse. Nam vix bene explicari potest, quomodo fieri possit, ut, si vulneribus affectis in parte postica tumores exorti celeriter evanescant, convulsiones et tetani, sin vero in anteriore parte, insania, si rubri tumores sunt, dysenteria etc. sequi possint [60]). Quam ob rem ex aphorismo ne nimium deducamus cavendum

56[b]) Genitivus μανίης hic ut ubique pro μανίας positus secundum Hippocraticorum usum scribendi.

57) Comm. ad prorrh. p. 176. v. 39.

58) Comm. II ad lib. I. de morb. vulg. sect. 59 — et comment. III. lib. III sect. 45.

59) V. 65.: Ὁκόσοισι οἰδήματα ἐφ' ἕλκεσι φαίνεται, οὐ μάλα σπῶνται, οὐδὲ μαίνονται. τουτέων δὲ ἀφανισθέντων ἐξαίφνης, τοῖσι μετὰ ὄπισθεν σπασμοὶ, τέτανοι· τοῖσι δὲ ἔμπροσθεν μανίαι, ὀδύναι πλευροῦ ὀξεῖαι, ἢ ἐμπύησις, ἢ δυσεντερίη, ἢν ἐρυθρὰ ῇ τὰ οἰδήματα.

60) Forsitan quae altera pars aphorismi indicare vult, ita intelligenda sunt: Vulnera in anteriorem partem corporis, in caput, illata, furorem producunt, in posteriore autem parte si inveniuntur, medulla spinali laesa, convulsiones et tetanum indicant. Verumtamen quia hoc modo non omnia eclarescunt, aphorismum nostrum adhuc inter obscuros referre licet.

est, sed ad libros spurios transeamus, ubi manifestius, quae diximus, probantur. Theodori exempli gr. coniux, quae septimo die obiit, sexto morbi die mania (*μανίη*) correpta est [61]), postquam ante iam deliraverat. — Multo saepius, quam *μαίνεσθαι* verbo *ἐκμαίνεσθαι* de vehementibus deliriis uti solent [62]); (et *ὑπομαίνεσθαι*, subfuriosum esse, occurrit). Saepissime adverbium *μανικῶς* deliriis tanquam eorum accuratior definitio adjicitur [63]).

De omnibus delirantibus in febre *μαίνεσθαι* non usurpari per se patet, sed quaenam est conditio, quae deliria *μανικά* reddat? Est summus inquietudinis gradus, si insipientiae vehementi supervenit. Sufficiant ad hoc probandum duo loci, quibus commemoratis res satis elucebit. Vehementem et subito exorientem mentis alienationem, inquietam, quamvis silentem, nondum *μανίην* nominari posse, jam ex eo sequitur, quod tali affectione aegrotantes adhuc in furorem verti possunt [64]). Aegroti qui in duobus librorum de morb. vulg. locis mania invasi fuisse dicuntur, vociferantur, circumstantibus convitia ingerunt, se attollere conantur et porrectis manibus aliquid frustra captare videntur [65]).

II. Μανίη, *insania chronica.*

Etiamsi compluribus in locis *μανίη* significatione delirii in febre fruitur, tamen in aliis huic oppositam multo latiorem habet. Jam ex eo, quod *μανίη*, licet modo in libris spuriis, delirio i. e. *παραφροσύνη* opponitur [66]), chronicam insaniam ea significari sequitur. Eodem

---

61) De morb. lib. VII. p. 1216.

62) Vid. infra cap. VI.

63) De morb. vulg. p. 1210.

64) Coac. praenot. p. 195, aph. 486.

65) 1. l. c. p. 1210 G.: *ιη καὶ ιθ καὶ εἰκοστῇ μανικῶς. ἦν δὲ κεκραγὼς ἐπαίρειν ἑωυτὸν πειρώμενος, οὐ δυνάμενος δὲ κρατεῖν τῆς κεφαλῆς τῇσι χερσὶν ἐπορεγόμενος, καὶ ἀεί τι διακενῆς θηρεύων.* — 2. ibidem 1216 H. *περὶ δὲ τὸν πρῶτον ὕπνον δίψα πουλλὴ καὶ μανίη, καὶ ἀνεκάθιζε καὶ τοῖσι παροῦσιν ἐλοιδορεῖτο* etc.

66) Epist. 1286.

modo *μαίνεσθαι* illi *παραφρονεῖν* opponitur [67], ubi nihil aliud nisi furorem chronicum significare potest, eadem scilicet notione, quam Galenus, ut audivimus, huic verbo tribuit. — Quamquam Democritus, sin aliter vesanus fuisset, symptomata melancholiae offerebat, ut ipse Hippocrates ad eum ab Abderitis arcessitus dicit [68]; nihilominus de eius animi conditione, sicut furiente (*μαίνεσθαι*) [69], quae tamen nil minus quam furiens fuit loquuntur. — In iisdem epistolis locus nobis obvenit, qui, si logica ratione eum perscrutamur, nobis demonstrare videtur, insaniae melancholiam subordinatam esse. Cuius loci verba sunt haec : »*ἢ οὐκ οἴῃ ἄτοπός γε εἶναι γελῶν ἀνθρώπου θάνατον ἢ νοῦσον ἢ παρακοπὴν ἢ μανίην ἢ μελαγχολίην ἢ σφαγὴν ἢ ἄλλο τι χεῖρον* [70].« Quum manifeste *νοῦσος* latissima significatione vox est, et eam sequens *παρακοπὴ*, quod ut supra demonstravimus, pro mentis quaque alienatione usurpatur, multo latiore gaudet, quam *μανίη*, inde concludendum esse videtur, *μανίης* notionem etiam latiorem esse quam melancholiae. Verumtamen curemus, ne nimium ex hoc loco deducamus; nam verbum, quod ultimum positum est, *σφαγή* scilicet, cum descendente climace minime cohaeret, ideòque rationi logicae repugnat. — Tamen non modo in libris spuriis *μανίη* hac significatione est, sed etiam in aphorismis usurpatur *μανίη*, praeterquam quod pro furore ponitur, tum etiam pro insania chronica; ita ut in illis locis, ubi secundum sensum *μελαγχολίην* positam esse exspectaremus, *μανίην* legamus. De hac verborum commutatione plura infra cap. V. Cum porro, ut nos docet aphor. VII., 5, *ἔκστασις* i. e. excessus furoris, qui maniae advenit, hanc solvere possit, satis superque clarum est, *μανίην* ab acuto furore multum adhuc diversam et nihil aliud nisi chronicam insaniam esse. Inde sequitur, hypothesin, quam nuper quidam doctissimus medicus protulit, *μαίνεσθαι*, etiamsi de chronica insania usurpatum sit, semper in Hippocrate significare illud

---

67) Ita de morbo sacro p. 308 v. 45.

68) l. c. p. 1280.

69) Ibidem, plurimis locis.

70) l. c. p. 1281 v. 28.

insanire, quod impetibus fiat, dum melancholia continua sit insania, vix defendi posse. Haecce ἔκστασις, quae subito homines opprimit, melancholicae originis et cum mania coniungi posse putabatur.

Hippocraticos et veteres Graecos in universum cum μανίης significatione non semper furoris etiamsi chronici notionem coniunxisse, infra fusius exemplis ex Hippocraticis libris citatis demonstrabimus. Quoad ceteros Graecos exemplo solummodo hic sit Xenophon, qui Socratem de μανίῃ disserentem nobis facit [71]). Socrates modo eos μαινομένους dicit, qui id, quod vulgus intelligit, (ὧν οἱ πολλοὶ γιγνώσκουσι), non intelligant; ex gratia, pergit Socrates, eum insanire (μαίνεσθαι), qui tam alto corpore se esse censeat, ut sibi deorsum inclinandum esse videatur, dum per portas urbem ingrediatur; vel eum qui tam fortem se ducat, ut domos transportare aliaque huiusmodi, quae ceteri fieri non posse credant, suscipere possit. — Itaque μανίῃ eam ei significat insaniae speciem, quam nostrates melancholiam nominant. — Talia insaniae cum cogitatione fixa, ut dicunt, exempla, verbi gr. ubi insanus alius se passerem, alius fictile, alius deum se existimavit, etiam Coelius Aurelianus enarrat, eaque ad *furoris* species refert, nullo modo ad melancholiam [72]).

Etiam seriore tempore semper μανίην chronicum morbum habebant, a febre non comitatum. Ita exempli gratia Aretaeus furoris modos specie permultos esse, genere tantum unum existimavit: »Esse enim ex toto mentis alienationem diuturnam, vacantem febre. Etenim si febris, quandoque coniungatur, id non ratione furoris propria, sed alio quovis casu accidere [73]).«

Licet ex illis, quae diximus, elucet, amplissimam fuisse μανίης significationem, tamen neutiquam nobis in animo est negare, sicut in deliriis furorem significet, ita etiam in chronica insania ante ceteras insaniae species illam, quam nunc sub maniae voce intelligimus, significasse. Nam possit quispiam dicere, quid significent »τὰ μανικά,« si iis »τὰ μελαγχολικά« ut in aph. III, 22, p. 1248. opponuntur? »τὰ

71) Memor. III. c. 9., 4 — 7.

72) Morb. chr. lib. I, c. 5.

73) Lib. I, cap. 6.

μελαγχολικὰ certe non morbum atrabilarem generatim significant, quia voces, quae antecedunt, ut δυσεντερία, jam morbos atrabilares designant. Quare suspicari licet, »τὰ μανικὰ« hoc in loco furiosam insaniam in universum, et acutam et chronicam, indicare. Verumtamen haec explicatio nil multo magis, quam hypothesis est, non strictis argumentis fulta. Neque vix usquam in libris Hippocraticis, paucis locis exceptis, μανίην et μαίνεσθαι de vero non febrili furore intelligenda esse, idoneis argumentis probare penes nos est. Nam praeter quam quod raro furoris mentio fit, ne semper quidem hoc nomine μανίης furibundorum conditio designatur. Posteriores scriptores nil in hac re conferunt ad melius explicandam de furore chronico in Hippocraticis libris notitiam; nam varia est apud illos μανίης significatio; alii, et quidem priores modo insaniam in universum, etiam melancholiam amplectentem [74]), modo furorem solummodo eam habebant. Alii et quidem posteriores, melancholiae latiorem ambitum tribuerunt, maniam ejus quasi partem habentes [75]). Quapropter revertendum nobis est ad Hippocratem ipsum. Laudatus a nobis jam est locus ex libro de morbis I, p. 460, in quo haec: morbo atrabilari affectos, sanguine per bilem aut pituitam corrupto, si mente alienantur, omnes melancholicos fieri non opus est, nam nonnulli etiam furibundi fiunt. Itaque sub voce mania, quae specialior adhuc est quam melancholia (πάρανοια), furorem sine dubio intelligendum esse colligimus. De febre vix agitur ibidem, quia paulo infra phrenitici, ab illis cetera diversi, quodammodo cum his melancholicis comparantur. Inter hos locos, in quibus μανίη pro vero furore sine febre posita esse videtur, etiam unus ex libro de victus ratione referendus est [76]). Quando enim subfuriosi exardescunt, sine dubio verus furor exorietur; num autem omnino absque febre, pro certo quidem asseverare nequimus. Haec

---

74) Sic Aretaeus (lib. I. c. 5): melancholia initium et pars maniae est. — Apollonius, quem citat Caelius Aurelianus (Morb. chron. lib. I. c. 5, 151.), et qui certe Pergamenus est, Ther appellatus, »melancholiam« inquit, »speciem furoris esse nuncupandam.«

75) Ex. gr. Alexander Trallianus (lib. I c. 16) maniam, nihil aliud nisi intensionem melancholiae ad maiorem feritatem esse tradit.

76) p. 352 v. 30.

μανίης, furoris scilicet, significatio eo memoratu dignior est, quia paulo ante 77) insaniam eorum, qui ἄφρονες et ἐμβρόντητοι dicti, inter dementes et melancholicos referendi essent, μανίην tardiorem esse narratur.

Quod cum ita sit, eum μανίης notio tam varia sit, modo furoris (febrilis), modo insaniae chronicae, μανίην in universum, praecipue in genuinis libris, quibus praeterea deest talis generalis insaniae nominatio, pro mentis alienatione dici veri non est dissimile. Quid? Nonne hoc multi momenti esse videtur, quod in tractatu de insania (ὁ περὶ μανίης λόγος), cui jam a Democrito in epistola ad Hippocratem is titulus datur, quapropter eum non posteriore tempore demum esse additum apparet, praeter chronicam insaniam etiam febriles conditiones, i. e. deliria et ea insaniae species, quae neque clamosum neque tumultuantem quemquam facit, ne multa, talis affectio, quam nostrates melancholicam nuncupant 78), tractantur?

Itaque Hippocraticorum μανίη nulla modo mania nostratum est, sed modo delirium furiosum, non ἔκστασις (in qua non ad tumultuandum proclives esse oportet aegrotos), modo latius insaniam, quin fortasse etiam in universum alienationem mentis, significat. Consentiamus igitur necesse est cum Galeno et Mercuriali, quorum hic dicit 79): »Ut Galenus scribit, haec vox mania (sc. apud Hippocratem) significat aliquando melancholiam, jam maniam, jam omnia deliria.«

Caput V.

De nomine et notione μελαγχολίης.

I. *De eius vi latissima.*

Melancholicus morbus (μελαγχολικὸν νόσημα) et melancholia Graecis, et inter eos Hippocraticis quoque, ut semper animi significaret

77) ib. p. 351 v. 45.
78) l. c. p. 1286.
79) Praelect. in Lib. Epid. p. 238.

morbum, multum aberat, sed varias potius comprehendebat corporis morbosas conditiones, quae ex uno eodemque fonte manare videbantur. Neque vero ullum meliorem afferre possumus auctorem, quam Galenum, qui omnino multa de morbis melancholicis, de morbis ex atra et flava bile ortis, verba facit; hic enumerat inter melancholicos effectus, praeter cancrem, elephantem, scabiem, lepram, febremque quartanam, etiam eum affectum, qui peculiari nomine melancholia nominatur [80]). Animi affectio autem haec melancholiae peculiaris species est. Nullo modo hanc divisionem et denominationen melancholiae Galenus ipse invenit, sed jam ante eum Hippocratici idem de melancholia docuerunt, neque solum ex spuriis sed etiam ex genuinis scriptis hoc probari potest. Ita in aphorismis [81]) morbi melancholici (ex atra bile orti) »τὰ μελαγχολικὰ νοσήματα« leguntur, e quibus demum per metastasin mania exoritur. Ita in aphorismo VI, 11, (nisi absque omni idonea ratione pro »νεφριτικοῖσι« »φρενιτικοῖσι« legere mavis) sub μελαγχολικοῖσι non solummodo mente capti sed morbo atrabilari laborantes intelligendi sunt, et inter eos etiam melancholici sensu strictiori. — Deinde si nobis narratur paralysin linguae aut alius corporis partis, quae subito aliquem invadat, ex μελαγχολίη originem ducere [82]), eam neque hic aliud quidquam, nisi atrabilarem morbum, significare patet. — Singulos ex spuriis libris locos citare, superfluum est, nam centies tales invenies. Sufficiant hice: lib. de aere aqua et locis, p. 288, v. 6, lib. de vict. rat. in morb. acut. p. 404, v. 6, lib. de affect. p. 325, v. 21, et lib. III de morb. vulg. p. 1090. G. — Ad quos locos mihi liceat notare, false vocem μελαγχολίην ab interpretibus per vocem »atra bilis« verti; et quidcunque etiam Lorry [83]) contra Sennert contendat, tamen in hoc puto hunc verum tetigisse, quod μελαγχολίη a μέλαινα χολή, cujus etiam in antiquioribus libris mentio injicitur [84]), distinguenda sit, quarum haec materiam

80) De alim. facult. III. Cap.: De alimento, quod a gressilibus animalibus sumitur.

81) Aph. VI, 56.

82) Aph. VII, 40.

83) De Melancholia et morbis melancholicis. 1745. T. I, p. 218.

84) ex. gr. Coac. praen. p. 127.

bilis atrae ipsam, illa affectionem, cujus causa atra bilis est, significat. Alii certe modum excedunt, si omnes locos, in quibus de melancholicis Hippocrates loquitur, non solum de mente alienatis, sed etiam de omnibus morbo atrabilari affectis valere dicunt. Arduae quidem est res discretu, num sub melancholicis in universum atra bile vexati, et inter eos mente affecti quoque, an solum hi, an nullo modo tales, an tantum tali specie morborum atrabilarium affecti, qui procul absunt ab insania, intelligendi sint. Facile ex. gr. nobis aliquis objicere possit, quod in descriptione singulorum casuum Adamanti, qui melancholicus [85]) nominatur, mentionem non injecerimus, de quo narratur, multo peplio sumto eum interdum nigra vomitione rejecisse, quod aliquando etiam a cepis contigerit. Contra haec responderemus: Adamantum nobis minime mente affectum fuisse videri, sed atra bile vexatum, fortasse lienosum fuisse, quod eo appareat, quod nigra vomitione laboraverit, et deinde quod peplio usus sit, remedio contra lienis morbos et vomitum nigrum tum usitatissimo.

Melancholia apud Hippocraticos igitur affectio fuit, quae ex atra bile orta est, saepissime potius diathesis quaedam quam morbus ipse. Temperamentum et constitutio melancholiam definiebant. Homo melancholicus si mente alienabatur, melancholia sensu specialiori laborare dicebatur, unde sequitur, non certam atque accurate definitam mentis affectionum formam melancholiam iis fuisse, quamquam non praetermitti debet, atrabilari diathesi vexatos (μελαγχολικοὺς) generaliter, si mente afficiuntur, magis ad melancholiam i. e. ad insaniam cum demisso animo (moestitia et metu) dispositos esse, quam ad furorem. Hoc experientia quotidiana confirmatur; et haec est consideratio, quae multam lucem divisioni morborum animi apud veteres affert. Nunc enim non amplius nos offendere potest, maniam in Graecorum sensu etiam melancholiam nominari posse. Non videri volumus, hic in novi aliquid lectorum animos advertisse, nam in Aretaeo invenimus locum, qui nostra cum opinione congruit. Melancholiam, ut Galenus, partem melancholicorum affectuum nominat, quae ex corporis symptomatibus, ut flati-

---

85) De Morb. vulg. VI. p. 1201.

bus, ructibus etc. cognoscatur. Etsi secundum hunc scriptorem ira immoderata, iracundia vehemens ac feritas, cum melancholia conjunctae inveniuntur, nihilominus hi mente affecti, quia bilis atra eorum morbi causa est, melancholici nominantur [86]).

Secundum causam suppositam, quae saepe ne corporis quidem symptomatibus se manifestat, ex quibus alias supponi solet, distinguere morbos, ex. gr. saeviatne aliquis ex atra bili an ex alia causa, certe ardua est res. Mirandum est, veteres non saepius confessos esse, diagnosin non fieri posse, aut difficilem esse. Unico solummodo, ut mihi compertum est, in loco librorum Hippocraticorum, et quidem in libro de morb. vulg. (duobus in locis, iisdem fere verbis, de eodem aegroto) auctor illorum addit verbum *δοκέων*, ita ut eum incertum fuisse appareat, num Timocharis servus unus ex melancholicis sit; quam ob causam dicit: *ὁ τοῦ Τιμοχάριος θεράπων ἐκ μελαγχολικῶν δοκέων εἶναι* [87]).

Celsus hoc atrae bilis phantoma jam perspexisse videtur, nam cum de illo insaniae genere loquitur, quod manifeste melancholia Graecorum est, et quidem chronica illius species, quam tristitia ut signum characteristicum comitatur, addit: quam *videtur* bilis atra contrahere [88]).

II. *Melancholica ecstasis.*

Quum primum bilis cerebri corpus occupavit ibique abundat, docente Galeno [89]) homines desipere incipiunt. Quod si celeriter fit, illa melancholiae species efficitur, quae *ἔκστασις μελαγχολική* nominatur. Cui acutae speciei, cum manifesta excitatione coniunctae, nihil

---

86) L. I, cap. 5: *ἢν δὲ ἄνω (ἡ χολὴ) ῥέπῃ ἐς στόμαχον, ἢν ἐς φρένας, μελαγχολίην τεύχει· φῦσάν τε γὰρ ἐμποίει, καὶ ἐρυγὰς κακώδεας, ἰχθυώδεας· διαπέμπει δὲ καὶ κάτω φύσας ψοφώδεας, συντρέπει δὲ καὶ τὴν γνώμην· διὰ τό δε καὶ μελαγχολικοὺς, καὶ φυσώδεας τοῖς δὲ ἐκίκλησκον οἱ πρόσθεν· μετεξετέροισι δὲ οὐδὲ φῦσα, οὔτε μέλαινα χολὴ ἐκγίγνεται, ὀργὴ δὲ ἄκρητος καὶ λύπη, καὶ κατηφείη δεινή· καὶ τοὺς δὲ οὖν μελαγχολικοὺς καλέομεν, χολῆς μὲν τῆς ὀργῆς συμφραζομένης, μελαίνης δὲ πολλῆς καὶ θηριώδεως.*

87) Libr. c. V p. 1160. et ib. Lib. VII, 1234.

88) Lib. III c. 18. (Editio bipontin. p. 159.)

89) De loc. affect. II, 6.

cum chronica, quae metu et moestitia se declarat, commune est. Fere omnis ἔκστασις, cuius symptomata infra cap. VII indicabimus, melancholicae originis a veteribus Graecis habebatur. In febre orta facile in phrenitidem transit [90]). Si vox μελαγχολικὸν deliriis febris additur, semper vehemens animi motio, etiamsi ἔκστασις non nominatur, significatur, nam παράκρουσις fieri potest μελαγχολική. Vehementissima et furiosissima animi excitatio, quae θηριώδης nominatur, non nisi gradu ab ecstasi melancholica differt, quin etiam ipsa est [91]). Hippocrates vero, si maximum ecstasis gradum designare vult, solummodo adjectivo θηριώδης utitur et epitheton μελαγχολικὸν omittit [92]). Secundum Galenum [93]) ferina deliramenta etiam absque febre existere possunt; et in Hippocraticis libris quoque febris non absolute ad melancholicam ecstasin necessaria esse videtur.

Haec febrilis desipientia ferina dicitur, quia ea affecti, ut Galenus ad locum ex coac. praenot. citatum adnotat, ferarum ritu adstantes invadunt, mordent et calcitrant.

Phrenitis ab hac melancholica ecstasi secundum Hippocraticos libros sine dubio diversa est, nam haec in illam transire potest [94]), (si tremor aut febris accedit); quamquam utramque conditionem Galenus [95]) ex bile, quae cerebrum prehenderit, explicat. — Phrenitis, ut mihi persuasum est [96]), status perdurans, continuus fuit (vide infra l. c.), ecstasis vero status fugax, praeteriens, qui absque febre praegressa subito exortus, postquam cum febre se conjunxit, vehementia decrescere, sed diu perstans initium phrenitidis constituere potest. Quod autem haec subito exorta vehemens animi motio melancholica nuncupatur (μελαγχολικῶς ἐξίστασθαι), id a theoria morbi solum pendet, et sine theo-

90) Coac. praenot. p. 430, v. 50.

91) Ita Galenus in prorrh. comm. I. sect. 14. μελαγχολικὴν ἔκστασιν ἀκουστέον τὴν σφοδρὰν καὶ θηριώδη.

92) Coac. praenot. p. 426 v. 24 et 428 v. 17.

93) De locis affect. III. — Ed. Frob. p. 67, C.

94) Coac. praen. p. 130.

95) Prorrh. I, Com. I sect. 1.

96) v. infr. Cap. VII.

retico epitheto adiecto etiam idem est, quod alibi ὀξέως ἐξίστασθαι nominatur 97). Hoc ob discrimen, quod inter ecstasin melancholicam et phrenitidem exsistit, etiam Jacotium errasse puto, qui tertiam phrenitidis secundum Hippocratem speciem μανιώδη i. e. melancholicam recenset 98).

Döring 99) melancholicam ecstasin in modo atque ratione delirii, quod semper in una eademque materia versetur, melancholiae similem esse contendit; attamen uti de melancholia hanc opinionem falsam esse infra demonstrabitur, ita etiam ea de ecstasi nullo modo defendi potest.

Hoc modo definitam melancholicam ecstasin, cum delirii potius sit species, iure extra fines nostrae disquisitionis sitam, nec Doeringio eam ob causam, quod in scriptione de deliriis composita eam tractaverit, quidquam obiiciendum esse, confiteri cogimur; quum nobis metipsis eadem ex ulteriore nostrae commentationis parte excludenda visa sit.

III. *Melancholia chronica.*

Quamquam, ut satis demonstrasse nobis videmur, melancholia Graecorum variis et diversis sub formis homines vexare potest, quia haud secundum alienationum mentis diversitatem, sed secundum causam, ex corporis aspectu suppositam, melancholia dignoscitur, tamen procul absit, ut contendamus, nullo modo animi signorum rationem Graecos habuisse in dignoscenda melancholia, sed potius, ut iam dictum est, etiam melancholiam Graecorum, quamvis lati ambitus eius notio sit, natura magis sub certa quadam insaniae specie sese prodere oportet. Sunt igitur quaedam animi signa, quae si adsunt, melancholiam chronicam indicant. Ita aphorismus omnibus notus Hippocratis intelligendus est: »ἢν φόβος καὶ δυσθυμίη πολὺν χρόνον ἔχουσα διατελέη, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον 100).« False recentiorum nonnulli Hip-

---

97) Ex. gr. Coac. praen. l. c.

98) Holleri et Iacotii comment. in Hipp. Coac. praenot. L. II. n. 30. p. 101.

99) L. c. p. 12.

100) Aph. VI, 23.

pocratem tristitiam et metum diuturne tenentes semper ad melancholiam necessaria esse symptomata his verbis dicere voluisse, contendunt; nam neutiquam ex illo aphorismo, in unoquoque casu melancholiae haec signa adesse, neque absque illis insaniae nomen melancholiae tribui posse, sequitur. Quid illos in hunc errorem induxerit, patet, nempe tum nostra arctior melancholiae notio, tum quod tam saepe melancholici etiam tristes et timidi reperiuntur; quod quam verum sit, etiam observationes veterum scriptorum testantur. In libris Hippocraticis iam melancholicus talis, tristis nempe, quomodo se gerat, describitur. Auctor epistolarum Democritum melancholicum, non maniacum, nominat, quia solitarius, taciturnus, desertorum amans, familiarium conspectum tanquam alienum fugit. Cui descriptioni haec adiiciuntur: *συμβαίνει μὲν τὰ πολλὰ μελαγχολικοῖς τὰ τοιαῦτα* [1]). — Galenus [2]) quoque cum hisce consentit, melancholicos insomnes, tetrici aspectus, et praeter rationem animi molestia et taedio vexatos appellans. Qui eum tempore secuti sunt, theorice magis morbos animi designaverunt, attamen timorem et tristitiam signa melancholiae habuerunt. Arculanus ex Avicenna, ut unum tantum proferam scriptorem, »melancholia« inquit »est mutatio existimationum et cogitationum a cursu naturali ad corruptionem, timorem et malitiam.«

Nihilominus nobis in libris Hippocraticis occurrit morbi cuiusdam accurata descriptio, *φροντὶς* appellati [3]), quae quantum ad symptomata attinet, ut infra cap. VIII. videbimus, non solum sensu nostratum melancholia appellaretur, sed etiam ratione aphorismi noti habita; attamen nulla alia voce pro illo scriptor utitur, quam voce: *φροντὶς*, quamquam summa demissione animi in eo aegroti vexantur, ut nomen *φροντὶς* ipsum indicat, quod nil aliud, nisi sollicitudo, moestitia est. Quare vero si *φροντὶς* charactisticum melancholiae symptoma habebatur, symptomaticum hoc nomen auctori satisfecit, ita ut melancholiam non posuerit? Perbene hoc nostra opinione ita explicari potest,

---

1) Epist. p. 1275.

2) De multit. (ed. Frob. p. 297. etc.)

3) Lib. de morb. p. 468.

ut aphorismo non repugnet. Nam μελαγχολίη vox nimii notionis ambitus, pro morbo animi usurpata, eam ob rem nimis incerta et ambigua est.

Ut paucis dicam, quae ostendere studui, haec sunt: Hippocrati eiusque scholae haud ignota erat illa melancholiae forma, quae nunc sensu strictiori ita appellatur, eamque ex tristitia et metu dignoscebant; attamen non omnem melancholiam illis comitatam esse ex eorum sententia oportebat.

VI. *De maniae et melancholiae discrimine et connexu.*

Fieri non potest, quin unusquisque, qui Ciceronem in Tusculanis disputationibus [4]) ita disserentem legerit: »quem nos furorem, μελαγχολίαν illi (Graeci) vocant«, satis miretur, nec minus nosmet ipsos haec offenderent, nisi respiceremus, quid Graecis μελαγχολία fuerit, nec rationem latini verbi »furoris« haberemus. Nam tali solum consideratione huic loco circumfusa caligo dissipabitur. Quid melancholia Graecis veteribus fuerit, satis scimus. Romanis vox, quae significaret melancholiam chronicam sensu strictiori, prorsus defuit. Nam vox insania generaliori notione fruitur; amentia et dementia privationem mentis vitium, quod vim ratiocinandi spectat, indicant, conditionem ergo, quae minime Graecorum melancholiae respondet. Haec enim, quae etiam summo furore coniuncta esse potest, praesertim in vitiata vi imaginandi consistit. Qua igitur voce illis utendum erat? Furor inter omnes proxime ad μελαγχολίαν accedit. — Furor praeterea videtur latioris notionis fuisse, quam ut solum significaverit statum furiosorum i. e. saevientium, sed pro mania Graecorum usurpatus est [5]). Sic quoque posteriori tempore Caelius Aurelianus [6]) voci »furor« hanc significationem tribuit [7]).

4) Lib. III. c. 5.

5) Ita hoc verbo leniori in notione usus Horatius dicere potuit: »dulce mihi est furere.« Od. II, 7, 28; quo in loco furere est: aliquantulum laetitia exilire.

6) L. c. p. 327., 150: »Furor« inquit »nunc iracundia nunc hilaritate, nunc moestitudine, sive vanitate occupat mentem, nunc timore comminante inanium rerum, sicut quidem memoraverunt, ut nunc speluncas timeant, nunc in lacunas, ne in easdem concidant, vel alia, quae terrori esse possunt.«

7) Hac nostra explicatione proposita multum abest, ut quae Arnold l. c. p. 81. dicit,

Etiamsi haec Ciceronis verba ita explicare studemus, ut sensu bono non careant, tamen occasionem dare non iubet, qua usus quispiam nos incuset, quod in Graecis scriptis inter *μανίαν* et *μελαγχολίαν* discrimen statuere nolimus. Immo potius Hippocratem ab iis defendamus, qui ei obiiciunt, eum maniam cum melancholia saepe confudisse, ita ut, ubi *μελαγχολίαν* in aphorismis positam expectamus, ibi *μανίη* dicta sit [8]). Examinemus hanc ob causam illos locos, qui ansam huius accusationis dederunt. Alter est Aph. VI, 21, ad quem ipse Galenus adnotat: »Hinc *μανίαν*, quae proprie melancholia dicitur, vocat, non illam, qui fit ex bile furorem.« In aphorismo VI, 11 Hippocrates dixerat: »affectibus melancholicis accedentes haemorrhoides bono sunt.« Hoc igitur de omnibus atrabilaribus affectibus valet, ad quos saepe accedunt haemorrhoides, quibus exortis ceteri affectus decrescunt, sicuti quotidie observare licet. Specialiter autem in aph. VI, 21 de iis ex atra bile affectis sermo est, qui mente alienati sunt; »iis« inquit, »haemorrhoides insaniam (*μανίαν*) solvunt.« Si pro *τοῖσι μαινομένοισι* iterum *τοῖσι μελαγχολικοῖσι* dixisset, hoc obscure dictum fuisset, et nil aliud indicasset nisi aliquantulum arctius definitum, quod aph. VI, 11. docet. Nunc vero, lecto aphorismo, qui paulo ante antecedit, nullo modo obscurus neque superfluus esse potest; nam ubi de haemorrhoidibus, affectione vere atrabilari, sermo est, quisque, qui in Graecorum illius temporis arte medica aliquantulum versatus erat, facile sub *μανίη* melancholicam insaniam intellectam esse, perspicere potuit. Est ergo eadem ratio, quam etiam ad nomen *φροντὶς* exponendum in auxilium vocavimus. — Clarius adhuc quae causa huic vocum commutationi subsit, in examinando aphorismo VI, 56. 9) in-

---

superflua habeamus; nam vera sunt, quae profert, et iure refellere studet Mercurialem, qui Ciceronem ignorantiae insimulat (Var. lection libr. VI, cap. 16. Opuscul. aureor. pag. 475). Nobis, si iis, quae diximus, aliquid ad rem illustrandam contulimus, sufficiet.

8) Cf. ex. gr. Arnold l. c.

9) *Τοῖσι μελαγχολικοῖσν νουσήμασι ἐς τάδε ἐπικίνδυνοι αἱ ἀποσκήψιες, ἢ ἀπόπληξιν, ἢ σπασμὸν, ἢ μανίην, ἢ τύφλωσιν σημαίνουσιν.*

telligemus. Res in eo pari modo sese habet, ac in modo laudato. In μελαγχολικοῖς omnis insaniae chronicae species, quae occurrit, melancholia sensu specialiori ab Hippocrate nominabatur. Qualis autem fuisset sensus, si dixisset: melancholicis exoritur melancholia accedentibus haemorrhoidibus? Nulla alia voce, nisi mania insaniam exprimere potuit. Hippocratici, qui spurios libros scripserunt, praeter μανίην adhuc generaliorem vocem pro insania usurpabant, παράνοια scilicet (vid. p. 12.), qua Hippocrates genuinus nondum ita usus est.

Restat, ut ea, quae Döring [10]) de melancholiae et maniae in Hippocraticis libris distinctione dixit, perpendamus. Hic enim inter alia etiam contendit, melancholicam ecstasin in eo similem esse melancholiae chronicae speciei, quod aegrotantes in utraque de una eademque materia delirent, in mania vero nullum rationis vestigium superesse, ita ut non inepte appellari queat insania super rebus omnibus ac singulis. Argumenta vero retinuit. At ne eius quidem ipsius propria illa est sententia, verum Boerhaavii, qui iam in aphorismis [11]) dixit: »Melancholia a medicis ille morbus vocatur, in quo aeger delirat diu et pertinaciter, sine febre, in una eademque fere cogitatione semper defixus;« hanc ille ad Hippocraticos libros transtulit. Probare hoc ex illis aliquis vix potest, neque ex aliis scriptoribus. Xenophontem et Caelium Aurelianum ex. gr., qui aegrotorum una cogitatione defixorum historias nobis tradiderunt, easque omnes ad μανίην aut furorem pertinere censent, supra iam memoravimus. Solus Aretaeus [12]) ex veteribus hanc melancholiae notionem protulit, et fortasse etiam eius auctor est. Dicit enim de melancholia: »ἐστὶ δὲ ἀθυμίη ἐπὶ μίῃ φαντασίῃ.«

Ad finem huius de mania et melancholia quaestionis colligamus paucis, quae ex praecedentibus capitibus sequuntur. Mania et melancholia in Hippocraticis libris non sunt notiones coordinatae, sed prout

---

10) L. c.

11) Nr. 1089.

12) De causis et signis diut. morb. L. I. cap. 5. p. 29. Cap. 6. p. 31. etc.

in latiore aut arctiore significatione accipiuntur, altera alteram complectitur; quapropter ut sese invicem excludant, haud necesse est. Mania generaliter pro insania chronica ponitur, itaque melancholiam amplectens. Hac significatione mania absque furore esse potest; in febre correptis autem furiosam semper indicat conditionem. Furor etiam sub melancholiae forma interdum se ostendit; nam melancholia omnis insania est, quae ex bile veteribus orta videbatur: imprimis autem illa melancholiae chronica species inveniebatur, cuius praecipua symptomata moestitia et timor sunt. Acuta, ecstasis scilicet, furiosa esse solet, et ab illa prorsus diversa est. — En quam arcte cohaereant haec duo insaniae genera!

Caput VI.

De nominibus et generibus variis delirii.

Hippocrates eiusque schola inter omnes animi affectus in deliria potissimum animum attendit; quorum exempla permulta in illorum scriptis nobis occurrunt, cum fere omnes aegroti delirarent: et fateri impellimur, eorum signa; prodromos et exitus secundum naturam eximia arte et acuto ingenio in illis descripta esse. Ad animi conditionem designandam, varia in illis inveniuntur nomina; quorum multa quidem, quod ad significationem attinet, inter se congruunt, alia vero tanquam inter se multum discrepantia non confundi debent. Quam ob rem omnino vituperandum est, quod omnes hae febriles insaniae conditiones sine distinctione, ut in versionibus factum est [13]), per insaniam redduntur. Usitatissima vox pro delirio in Hippocraticis libris est παραφροσύνη et παραφρονεῖν pro delirare, sicut παρακρούειν. Tamen his verbis specialior aliqua notio inest. Nonnullis in locis παραφρόνησις, generaliter delirium indicans, μανίῃ i. e. insaniae

13) Exempli gr, ἔκστασις in ed. Foes. transv. pag. 159. v. 3.

chronicae opposita esse videtur [14]. Omnium latissimae significationis verba sunt haec: ἐξ ἑωυτοῦ γένεσθαι [15]), deinde παρ' ἑωυτὸν εἶναι [16]), ἔκτος ἑωυτοῦ εἶναι [17]). Interdum etiam παραφροσύνη ut apud ceteros medicos in Hippocrate pro omni animi morbosa in febribus affectione occurrit. At inter παραφροσύνην et φρενῖτιν si discrimen faciunt, significat παραφροσύνη delirium, quod, etsi in febrium vigore et statu accidit, tamen non diu durat; in universum igitur lenis fere semper desipientia est. Verba, quae cum voce παραφροσύνη cohaerent, παραφρονεῖν, παράφρων, παράφορος centies inveniuntur. Praeterea his verbis utuntur: παρακρούειν, παραλέγειν, παραπαῖσαι, quae etiam leve delirium et levem animi concussionem indicant. Delirare in febris vehemente vigore magis significare videntur verba: παρακόπτειν, παρενεχθῆναι, παραληρῆσαι. Librorum de morb. vulg. et prorrheticorum scriptor παρακρούειν, παράκρουσις, παρακρουστικὸν, ubi de deliriis agitur, ponere solet. De voce μαίνεσθαι iam supra dictum est, ea furiosum delirium designari. Vehementissimum delirii gradum significat ἐκμαίνειν. Ita insanivit decimus tertius aegrotus III. Epid. 3.

De voce ἔκστασις etiam supra sermo erat, quae nullo modo idem quod φρενῖτις aut mania est. A quibus conditionibus differre videtur eo, quod subito exoritur et quod in ea mens maxime perculsa et alienata est. Quod se offerendi rationem attinet, hic excessus animi varius esse potest, quod adiectis epithetis indicari solet. Ita ex. gr. ἔκστασις esse potest σιγῶσα [18]). Saepissime ὀξέως ἐξίστασθαι [19]) dicitur. Etiam saepius ἔκστασις nominatur μελαγχολικὴ, quod originem huius excessus significat. — Duretus [20]) dicit, praeter silentem et furiosam ἔκ-

---

14) Epist. pag. 1285.
15) Ibid.
16) De morb. vulg. lib. VII. p. 1233.
17) Ib. p. 1234.
18) Coac. praenot. pag. 195. exemplo talis ecstasis est aegrotus decimus quintus III. Epid. 3.
19) Prorrhet. pag. 86. et 190.
20) Interpretationes et enarrationes in Hipp. Coac. praenot. p. 363. v. 18.

στασιν adhuc tertiam in Hippocrate statuendam esse, »in qua stupent aegri attoniti manentque immoti, qui vulgo dicuntur ravis.« Tamen hanc non habet locis probatam [21]).

Pauca etiam de phrenitide monenda sunt, quae, quum eius mentio simul cum maniae fit, hoc loco non praetermitti debet. Vocibus φρενῖτις et παραφρενῖτις posteriore tempore variae et a propria significatione diversae suppositae sunt notiones, ita ut operae pretium sit examinare, qualem in Hippocraticis libris phrenitis, tam saepe commemorata, vim habeat. Locis omnibus inter se comparatis patet, φρενῖτιν delirium esse, quod nulla alia re, nisi perpetuitate, a παραφροσύνη differt. Audiamus Galenum, qui hoc discrimen hisce verbis exponit: »Phrenitim vero non appellant nisi febrit aegrotus et continue delirat (διηνεκὴς τῆς παραφροσύνης).« Continuitate igitur dementiae, quodque simul cum febre fiat, phrenitim agnoscemus. Videmus et phreniticos esse, qui comatosi existentes sapiunt, sed etiam delira loquuntur, atque a praesentibus expergefacti, stupere videntur [22]). — Celsus [23]) etiam ex Hippocraticorum sententia phrenitim »continuam febricitantium insaniam« nominat, non secus Alexander Trallianus, qui haec habet: »atque id delirii (παραφροσύνη) proprium est, quod febres per tota earum tempora non perseverent, sed conquiescant; phrenitis autem semper perdurat [24]).

---

21) Grimm (*Hippocrates Werke; aus dem Griechischen übersetzt; I. Bd. S.* 285.) et post eum Gruithuisen et Pittschaft vocem ἔκστασις in aphorismo VII., 55. per catalepsiam (*Starrsucht*) reddunt, qua hanc decreti tertiam speciem significare videntur, nam ἔκστασιν et catalepsiam idem valere vix credere possunt. Quo argumento talis versio nitatur, nescio. Nam hoc in loco pari modo ac in aliis ἔκστασις vehemens animi commotio subitanea esse potest, quae si maniae i. e. insaniae chronicae, non raro furoris experti, adiungitur, saluti esse potest.

22) Galen. in I. Prorrh. Hipp. Comm. 1. sect. 2. Latior definitio phrenitis est, quam paulo infra (ib. sect. 14.) dat: »phrenitim mortales omnes eam appellant affectionem, in qua φρένας laesas esse videant.« Hanc sententiam eo consilio magis, ut φρένας definiret, quam ut φρενῖτιν explicaret, dixisse videtur.

23) Lib. III. c. 18.

24) Lib. I. cap. 13.

Itaque vehementia deliriorum, ut invenimus, ad phrenitim statuendam nihil refert. Decimus quintus aegrotus III. Epid. 3. phreniticus commemoratur, qui per longum tempus continuo delirio vexatus erat. Phrenitici aegri eiusmodi nobis appellantur, qui torpore mentis affecti delirabant, quamquam nullus eorum insanivit (οὐδὲ ἐξεμάνη τῶν φρενιτικῶν οὐδείς)[25]. Quia vero narratur, quandam lenis delirii (παράκρουσις) speciem phrenitim annuntiare[26], quodque delirium lene phrenitis esse non potest. — Dissidet ab hac nostra sententia Döring, ita phrenitim definiens[27]: »Omne autem delirium audax et furiosum, quod symptoma est febris, generali sensu Hippocrates appellavit paraphrenesin aut paraphrenitidem. — Paraphrenitis et phrenitis gradu differunt. Est enim phrenitis delirium cum febre acutissima, continua audacia summa et furore summo, nec non cum vigiliis perpetuis.« Quae contra hanc definitionem monenda sint, satis iam ex iis, quae modo commemoravimus, apparet. — Iure autem Döring recentiorum opinionem, secundum quam phrenitis febris ab inflammatione durae et piae matris cerebri est, reiicit. Nam neque etymologice, neque pathologice haec opinio defensionem admittit[28].

Caput VII.

De delirii et insaniae chronicae differentia et connexu.

Quaestio nobis hic obviam venit, cui solvendae operam demus necesse est: inveniaturne in Hippocraticis libris discrimen inter delirium et insaniam observatum? Haec quaestio eo gravioris momenti est, quia saepius de Hippocrate scriptum legitur, eum insaniam a delirio minime

25) III. Epid. 1084.

26) Coac. praenot. p. 128. C.

27) L. c. p. 10.

28) Huius sententiae, nisi fallor, primus auctor Paulus Aegineta fuit. Cf. Lib. III. cap. 6.: ἡ φρενῖτις φλεγμονὴ τῶν μενίγγων ἐστίν sqq.

discernere [29]); quam, licet difficilis sit, tamen ad finem perduci posse arbitror.

Inveniuntur in libris Hippocraticis non rari loci, de quibus, etsi tantum in aliquod tempus, dubitatio lectori movetur, utrum de chronica an de acuta i. e. febrili alienationis mentis specie sermo sit; ex. gr. in illis, in quibus conditio animi nullo alio verbo nisi voce *μαίνεσθαι* designatur. Unicum, quod nobis restat, remedium, quo rem dubiam ad liquidum perducere possumus, hoc est, ut unum locum ex aliis similibus explicemus. Qua ratione saepe res expeditur. Exemplo utamur aphorismo 235 ex Coac. praenot. [30]), cuius verba haec sunt: Dentium collisio aut stridor insaniam (*μανικὸν*) et mortem denunciant. Nonne iure dubitatio hic oritur, quidnam *μανικὸν* sibi velit, utrum etiam chronicam insaniam indicet? Demum, postquam in lib. de praenot. [31]) legimus eandem sententiam addito *ἐν πυρετοῖσιν*, certiores fimus, delirium furiosum voce *μανικὸν* designari. — Neque vero hic casus omnium difficillimus; in multis aliis difficultas etsi non maior, nec tamen minor est. Nihilominus, quamquam plurimi exstant dubii tales loci, excusandum est, si quis, ut recentiorum quidam doctissimus medicus fecit, in loco de historia insaniae (chronicae) omnia delirii signa enumerat, quae Döring collegerat.

Non distinctis quidem verbis in libris Hippocraticis dictum est, quale veteribus fuerit inter delirium et insaniam discrimen, in quibus, quantum attinet ad phaenomena, uterque morbus discrepet; attamen descriptionibus delirii et insaniae satis superque elucet, delirium febre et inde temporis decursu ab insania distinctum esse. Sic e phrenitis [32]) descriptione apparet, eam semper cum febre coniunctam esse oportere. Initio levis febris adest, quae postea, cum quartum aut quintum diem attigerit, vehementior fit. In universum, ut hoc eloquar, *παραφροσύνη* et *φρενῖτις* ibi solum nominantur, ubi febrit aegrotus, et morbus brevi temporis

---

29) Ita Neumann in libro: *die Krankheiten des Vorstellungsvermögens. p. 177: Hippocrates unterscheidet Delirium von Manie nicht, ebenso wenig Phrenitis etc.*

30) p. 157.

31) p. 37 v. 45.

32) De affect. p. 518. v. 21.: *φρενῖτις, ὅταν* etc.

spatio decurrit; μανίη vero et μελαγχολίη (excepta ecstasi melancholica) hisce oppositis sub conditionibus commemorantur. Haec etiam est Galeni de Hippocratis utriusque morbi distinctione opinio: febris sola est, quae παραφροσύνην inter et μανίαν intersit[33]), et qua μανία et φρενῖτις distinguitur [34]).

Quod ad causas harum affectionum attinet, auctor libri de morbis [35]) opinatur, phrenitim bile solum, insaniam (melancholiam) vero pituita et bile nasci. Neque tamen magni hanc distinctionem facere possumus, quia in lib. de morb. sacro [36]) et in tractatu de insania homines et ex sola pituita et ex bile sola continue desipientes describuntur.

Si spectamus nomina, quae in libris Hippocraticis ad designandas et delirii et insaniae species adhibentur, plura in utraque affectione significanda auctores usurpasse invenimus. Relegamus lectorem ad vim verborum, μανία μαίνεσθαι — ἐκμαίνεσθαι et quae cum illis cohaerent, quam supra fusius exposuimus; inter omnes ἔκστασις μελαγχολικὴ quid significet, in mentem revocamus, quae in medio delirium inter et insaniam posita fere omnem differentiam exstinguere videtur, cum Graeci, ex atra bile eam exoriri rati, haud febrilem speciem melancholiae subiicerent. Deinde satis idonea ratione in cap. III. demonstrasse nobis videmur, mentis affectionem (alienationem διανοίας) communem habitam esse conditionem; unde utrumque insaniae genus (phrenitis et melancholiae, quae

---

33) Comm. II. in Lib. I. Epid. sect. 59.

34) Ib. Comm. III. in Lib. III. Epid. sect. 45. (p. 425. v. 55.) — Comm. I. in Prorrh. p. 107. v. 40. — Tali modo ex Hippocrate fere semper inter utramque affectionem discrimen fiebat, etiam posteriore tempore a Romanis. Caelius Aurelianus, quem liceat mihi afferre, eodem modo distinguit inter furorem et phrentim. Initio (de morb. acut. Lib. I., 15.) tardantem et sine febribus insaniam furorem vocari dixit; postea (de morb. chron. Lib. I. 146.) eadem verba repetens adhuc addit: »Siquidem (μανία) neque celer, neque cum febricula esse videtur; vel si quisquam furiosus febricitaverit, discernitur a phrenitico temporis consideratione. Nam praecedit in furiosis furor sequenti febricula, et non ita parvo pulsu afficiuntur, quae utraque necessario phreniticos sequuntur.«

35) p. 460. v. 40.

36) p. 309. v. 8.

maxime nostratum opinione opposita omnino pro acuto (febrili) et chronico insaniae genere dictae iudicari possunt) nomine παράνοια appellatum sit. — Itaque quod ad utriusque insaniae generis essentiam attinet, aequalia habebantur, atque nihil aliud nisi febris, simulque cum ea temporis spatium, delirium ab insania distinguere videbatur.

Caput VIII.

Specialiora quaedam ex pathologia.

I. *Insaniae signa quaedam generatim enunciata.*

Iam unusquisque in libris, de quibus agimus, non certam generalem insaniae diagnosin proferri, colligere potest; nam ea ex systematica solum insaniae consideratione prodit, cuius doctrinam hucusque neque admodum excultam invenimus in Hippocraticis libris: neque nobis est in animo, ex singulis locis, in quibus ibidem de insania agitur, ex breviter dictis, ex signis insaniae descriptis, historiisque narratis diagnosin generalem deducere. Namque ea non Hippocratis esset sententia, sed nostra, quam illi subponeremus. Nobis hoc in loco nihil aliud proposuimus, quam ut quae passim inveniuntur insaniae symptomata, quaeque ad nullum specialem casum ibi referuntur, itaque generalia symptomata quodam sensu nominari possunt, iuxta sese collocemus. Praeterea nobis nullus alius locus aptior visus est, quam initium huius capitis.

Gravissimum insaniae signum, ut ex hisce locis colligi licet, error mentis habitum videtur:

1 et 2) Errores nempe intempestivi adsunt [37]), falsae perceptiones aurium et oculorum, quas lingua illico profert [38]); 3) sensus totius corporis saepe tam perversus est, ut dolorem non sentiant aegri. Haec

---

37) De morbo sacro, pag. 308. v. 43.

38) Ibidem p. 309.

maximi momenti sententia ex genuinorum librorum uno depromta est [39]. — Deinde quae morbum mentis solum spectant, haec commemorantur: 4) Rerum praesentium ignoratio; 5) Curae tempori non convenientes; 6) Desuetudo et imperitia; 7) Terrores et metus, nocturni et diuturni [40]; 8) Solitudinis amor; quem, si solus adsit, signum insaniae non haberi, sed tum tantum, si cum aliis signis in melancholia coniunctus sit, tradunt [41]. 9) Risus; 10) Familiarium ignoratio, quum aegrotus stupendum in modum mente et contemplatione in rem aliquam incumbat [42]; 11) Insomnia [43].

II. *Descriptio generum insaniae.*

Omnes ex Hippocraticis libris locos, qui hoc in sensu describendo varia insaniae genera nostra intersunt, non nisi in spuriis libris inveniri, haud superfluum censeo monere, etiamsi iam ex theoretica ea exponendi methodo hoc suspicari quispiam possit. Pari modo, cum talis maniam inter et melancholiam sit ratio, ut supra explanavimus, non multo ingenii acumine opus est, ut perspicias, Hippocraticos in describendis insaniae generibus, minime eam in maniam et melancholiam distincturos esse, cum sola ex expositione, qualis fuerit causa melancholiae nominis, iam colligere possis, divisionem eorum eodem modo theoreticam, supposita causa insaniae nisam, esse oportere. Neque aliter reapse est; quamquam enim diversis a scriptoribus in Hippocraticis libris duae nobis insaniae eiusque diathesis descriptiones traduntur, tamen uterque eorum ex causa supposita exorditur, ex eaque diversitatem utriusque generis deducit: alter enim insaniam ex bile aut ex pituita derivat, inde dua eius genera describens, alter ex mala ignis et aquae in corpore temperatione duplicem insaniae diathesin aut originem ducit, integrumque uterque reliquit, melancholiamne an maniam haec

39) Aph. IV, 6.
40) De morb. sacro l. c.
41) Epist. p. 1275.
42) Ibid. p. 1286.
43) De morb. sacro l. c.

diversa genera nuncupaverint. Nihilominus quantopere in his descriptionibus, quamvis in illis divisio et pathogenia hypotheticae sint, nostram laudem et admirationem mereat, mox videbimus.

A. Mentis affectio (ἀφροσύνη), ex mala ignis et aquae contemperatione orta.

1. *Homines, in quibus ignis aqua superior est* [44].

a) Primus gradus: Sanitate corporis et prudentia talis homo adhuc valet et eiusmodi animus cito, quae obiiciuntur, percipit, neque frequenter ad alia se transfert. Quamquam huius animi natura bona est, tamen melior etiam effici potest.

b) Secundus gradus: Quodsi adhuc magis aquae vis ab igne superatur, acutior quidem animus est, quo citius moveatur, et ad perceptionem celerius incurrit, verum priore gradu minus stabilis, quia quae adsunt, secedunt, et in pulmones celeri impetu feruntur.

c) Tertius gradus: Subfuriosi (ὑπομαινόμενοι) homines nominantur, qui ad hunc referuntur. Quodsi nempe magis, quam in secundo gradu, aqua ab igne superatur, eiusmodi animum valde acutum somniis agitari necesse est. Eamque ob causam tales homines subfuriosi appellantur, quia hoc insaniae proximum est, cum vel a levi et contemnenda inflammatione insaniant, et in vini potionibus et a carnium esu, et si bona corporis habitudine gaudent.

2. *Homines, in quibus ignis ab aqua superatur* [45].

a) Primus gradus: Hoc modo affecti prudentes adhuc sunt, inferiores tamen illis, quibus mixtio aquae et ignis optima est, nam ignis, tardam motionem efficiens, iis segnius in sensum illabitur. Eiusmodi autem homines fere stabiles sunt, quamcunque ad rem se applicuerunt. Prudentiores tamen et acutiores, bene curati, fieri possunt.

b) Secundi gradus homines stolidi (ἠλίθιοι) nominantur. Cum tardus sit in illis ambitus, paulatim perceptiones allabuntur, et quae acute exsistunt, sensim etiam commiscentur. Acutas perceptiones, quae visione et auditione fiunt, minus sentiunt, quam quae tactu sentiuntur.

---

44) De diaeta pag. 352.
45) L. c. p. 351.

Quae visione et auditione percipienda sunt, nisi ea ante sciunt, percipere nequeunt. Nisi enim ab igne illabente commotus animus fuerit, id qualecunque sit, non percipit. Id igitur huiusmodi animis ob celeritatem non contingit.

c) Tertius est gradus, in quo insania (μανίη) etiam tardior est: qua qui laborant, dementes sive attoniti (ἄφρονες, ἐμβρόντητοι) nominantur. Plorant, quamvis a nemine vexati, neque verberati, minime metuenda metuunt, modestiaque afficiuntur, ubi minime convenit, et sentiunt, quae prudentes non decent.

Auctor descriptionis non solum accuratam mentis affectionum observationem, verum etiam attentam meditationem de conditione, qualis solet esse in mentis vesania, ostendit. Etsi theoriae, secundum quam mala ignis et aqua contemperatione insania oritur, nunc quidem nemo amplius deditus est, phaenomena tamen, quae in talibus ad insaniam dispositis sese offerunt, vera huiusque habentur. De vera insania quidem Noster non agit, sed quod maius est, dispositionem ad insaniam exponit: namque ad furorem, qui sunt propensi, potius etiam ad insaniam dispositi, quam mente capti haberi possunt. Idem de duobus primis illorum gradibus valet, qui tardi nominantur. Auctor nobis hoc in loco transitum ex temperamentis et constitutione in insaniam demonstrare studet; primo scilicet, quomodo mania (furor) e temperamento cholerico sanguineo et irritabili constitutione exoriatur, tradit. Primi gradus homines adhuc inter sanos referuntur; ei secundi gradus sunt, quos iracundos excitatosque homines nominamus, qui ad insaniam inclinant. Propius maniae accedunt subfuriosi tertii gradus, qui levissima iam causa furiunt. Hi aperte aegrotant, quamquam nondum sunt maniaci, ut aiunt, eorum enim affectio solum nominatur (τὸ τοιοῦτον) ἔγγιστα μανίης. Qui tardi appellantur, sunt homines phlegmatici temperamenti melancholicique et torpidae constitutionis, quorum conditio animi si peior fit, stultitia est; stolidi (ἠλίθιοι) autem nominantur, qui medium locum tenent inter sanos et aegrotos. Verum quominus homines tertii gradus manifeste aegrotare dicamus, non impedimur. Nam a scriptore ipso dementes et attoniti (ἄφρονες et ἐμβρόντητοι) appellantur. Ab altera vero parte melancholicis propius accedunt,

ab altera autem amentibus; atque illis quidem, quia falsis perceptionibus vexantur, his autem, quia perceptiones iis allabuntur, quod iam stolidis accidere solet. Tales aegroti, qui in ipsa insania melancholici simulque amentes sunt, sine ulla causa plorare incipiunt, quod in senibus, quorum animus, ut aiunt, puerilem prae se fert speciem, item observatur. Nostrates tali animi conditioni imbecillitatis (*Schwachsinn*) nomen imponunt.

B. Insania (μανίη), ex bile et ex pituita orta.

Horum insaniae generum in duobus locis et iisdem fere verbis mentio fit; nempe primum in libro de morbo sacro (p. 309), deinde in tractatu de insania (p. 1288). His duabus utriusque generis descriptionibus, quae per se sunt, in unam comprehensis, haec duae sequentes fiunt, quae multum inter se discrepant. Utrumque autem earum genus perpetuum nominatur, ergo chronicum est.

1. *Insania ex bile nata:* Qui ex bile insaniunt, vociferantur, verberant, malefici sunt, minime quiescunt, nec cessant in perpetrandis rebus intempestivis. Metus terroresque iis tum exoriuntur, quum bilis cerebrum calefecerit, postquam eo per venas sanguinem compellentes ex corpore impetu dilata est. Metus autem circumstat, donec rursus bilis in venas et corpus redierit, deinde sedatur. — Ubi cerebrum subito percalescit, clamant, vociferantur et postquam sanguis in cerebrum invasit atque in eo ebullivit, horrenda vident insomnia. Hoc non solum vigilanti sed etiam dormienti contingit. Tum eodem modo exardescit facies, rubent oculi, et mens aliquid mali cogitat.

2. *Insania ex pituita orta:* Hac ex causa insanientes, nullo modo prioribus similes, sed quieti sunt neque clamosi neque tumultuantes. — Intempestive tristantur, anguntur, et aestuant, dum cerebrum a pituita perfrigescit et praeter consuetudinem concrescit; eaque ex affectione obliviosi quoque fiunt. Hosce non impetus tales ut biliosos invadunt, cum cerebrum non calefiat ex pituita.

Qui insaniunt ex bile vere maniaci i. e. furiosi sunt; laborant mania, quam tristis et auster mentis error comitatur. Eorum descriptio tam naturae congruens est, ut nil amplius de illa dici queat. Hoc solum monendum mihi videtur, ab impetu furoris, qui et noctu accidere

potest, quomodo differat ἔκστασις μελαγχολική, quae pariter subito ex bile, cerebro ab illa irruto, exoritur, neque diu manet. — Insanientes autem ex pituita non aliter nisi melancholici a nobis nominari possunt, cum tristi et anxio animo sint; sed quia, ut narratur, obliviosi fiunt, in amentiam tendere videntur.

III. *De amentia quaedam.*

Plures, qui in Hippocratis doctrina satis sunt versati, praeter maniam et melancholicam ullum aliud insaniae genus ei notum fuisse negant; amentiam ei ignotam fuisse affirmant. Verumtamen primum observare mihi operae pretium est visum, in Hippocraticis libris verba reperiri, quae amentiae conditionem significant. Amentiae nomine eandem hic conjungimus notionem ac Cicero [46]; animi affectionem lumini mentis carentem (i. e. judicii vim fractam) illam appellat. Respondet hujus verbi significationi graecum ἄνοια, quae iuxta Galelenum ὡς τῆς διανοητικῆς ἐνεργείας παράλυσις est [47]. Secundum hunc scriptorem ἄνοια ex humiditate orta defectus et memoriae et rationis est [48]. Idem verbum apud Hippocratem saepius occurrit [49]. Item ἀσύνετος, quod idem atque amens est [50]. Neque tamen e connexu, qualis fuerit conditio aegrotorum, de quibus hac voces usurpantur, colligi potest. De verbo ἀφροσύνη supra (Cap. III) jam locuti sumus; neque pro illa animi affectione, quae in mala ignis et aqua contemperatione sequitur, usurpatum, nihil alind nisi imprudentiam designat. Propius substantivo adjectivum ἄφρων [51] amentiae significationi accedere, dici potest. Attamen non respondet nostro «blödsinnig«. Contra aliis in locis, in quibus haec verba non commemorata sunt, insaniam μανίης genus

46) L. c.

47) De sympt. differentia c. 3. (ed. Frob. III. 41. B.)

48) De loc. affec. III. 4. B. Vox ἄνοια non confundenda est cum ἄγνοια, quae Hippocrati ignoratio mentis, occupatio stupiditati proxima, est, mente ita laesa, ut familiares aeger non agnoscat. Haec solum in febre correptis occurrit. Cf. Galenum comment. ad coac. praenot. 424. v. 38. et prorrh. 198. v. 6.

49) Ex gr. epistol. 1. p. 1281.

50) Epid. II. 1053.

51) De diaeta I. 351.

nominatam, amentiam esse putamus, scilicet illam, quae, ut modo diximus, ex pituita fit. Namque si quis est, in quo memoria aboletur, eidem amentiam inesse iudicare solent. Neque tamen amentiam ille locus quasi conditionem per se ipsam constantem describit, sed potius tanquam cum melancholia cohaerentem; nam ii, qui ex pituita insaniunt, cerebro perfrigescente contractoque, tristantur et anguntur, simulque ex eadem affectione obliviosi fiunt (ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ πάθεος). Neque vero pari modo insani, in quibus aqua superat ignem, amentes nominari possunt; nam οἱ ἠλίθιοι stolidi sunt, et οἱ ἄφρονες καὶ ἐμβρόντητοι, ut vidimus, imbecilles sunt. Itaque sequitur, in libris Hippocratis verba, quibus amentia significetur, reperiri, verumtamen insaniam ipsam, quae amentiae proxima est, omnino maniae partem nominari.

At sitne hoc primum, quo antiquitati haud incognitam fuisse amentiam significetur, vestigium, adhuc incertum est; nam forsitan οἱ ἀφυεῖς Pythagoreorum [52]), qui illis εὐφυεῖς dictis opponuntur et qui φύσιν βλαπτικὴν habent i. e. qui natura inhabili praediti sunt, ita ut semper errent, adeoque mens alienetur, amentes haberi possunt.

IV. *Quaedam singulae insaniae species.*

Quum singulae insanorum species historiaeque morbi, quae in libris Hippocratis enarrantur, fere omnes tales sunt, quales nostri ad melancholiam referunt, eo ducimur, ut illo tempore multo plures melancholia quam mania laborasse colligamus. Excepto ebrietatis furore, qui accurate describitur [53]), nullum in libris Hippocraticis, qui ad maniam referri possit, casum reperimus. — Ad melancholiam ante omnes ἡ φροντὶς referenda est, quae νοῦσος χαλεπὴ nominatur [54]). Cujus morbi descriptio eam ob causam tam memorabilis est, quod in eadem ad corporis symptomata, quae abdominis morbum, frequentissimum melancholiae et hypochondriae fontem, indicant, respicitur. Viscera enim in illo veluti spinarum aculeis pungi videntur, anxietas (ἄση) aegrotum invadit, qui lucem et homines fugit, tenebras amat, metu corripitur; septi transversi exterior pars intumescit, tactumque dolet, aegrotus expavescit,

52) Secundum Aristoxenum apud Stobaeum Ecl. phys. pag. 207 et sq.

53) De diaeta I. pag. 347. πίνοντες καὶ μαινόμενοι etc.

54) De morb. II. p. 486. v. 32.

in somniis terribilia et formidolosa, interdum vel mortuos cernit. Hic morbus verno tempore plurimos invadere solet. Cujus morbi descriptionem quisque, qui jam plures melancholicos observandi occasionem habuit, naturae congruentem inveniet, et aegrotos, quod viscera eorum aculeis quasi pungantur, querulos non raro observaverit.

Crebra affectio, quae, quod ad metum attinet, modo descriptae (φροντὶς) similis est, in libro de rebus, quae ad virginem spectant[55]), exposita, in numero earum, quae perpetuo fiunt (ἀειγενεῖς), habetur. Homines illa affecti tam vehementer terroribus percelli dicuntur, ut desipiant, aut noctu, aut interdiu, interdum etiam utroque tempore; daemones infestos cernere sibi videntur.

Haec melancholia daemonomaniaca, quomodo jure appellari potest, quin etiam causa multis fuit, cur ex hujusmodi visione strangulati sint; verum mulieres plures, quam viri, quia, ut additur, ἀθυμοτέρη καὶ ὀλιγωτέρη φύσις ἡ γυναικείη est. Imprimis autem virgines, pubertatem jam ingressae, hoc morbo vexantur sub mensium descensum, antea his malis non admodum afflictae. Ex mulieribus viro nuptis ista magis sterilibus contingunt. — Corde deinde ex utero affecto atque obstupefacto insania (παράνοια) nascitur. Tum horror quoque et febres, quas πλανήτας τοὺς πυρετοὺς nominant, ut auctor addit, accedere possunt; insaniens puella clamat, terretur et timet; propter oppressionem, quae circa cor est, suffocationem sibi parat, ob sanguinis autem vitium animus anxietate et impotentia conflictatus malum sibi contrahit. Alium quemque horrendum in modum appellant; in puteos praecipitari et suffocari jubent, quasi haec praestantiora sint, omnemque utilitatem excedant. Interdum etiam spectris non visis cupiditas quaedam mortis, tanquam boni cujusdam, expetendae eas incessit.

Jam, quam vera haec omnia sint, ut pluribus exponam, vix decere arbitror. Casus enim, in quibus puellis mensibus suppressis et feminis sterilibus talia, a nobis descripta, symptomata oriuntur, non inter rarissimos referri possunt. Menstrualis haec melancholia, ut ita dicam, eas, ut sibi ipsae manus inferant, inducere potest. Similis huic melancholiae

---

55) Pag. 562.

speciei illa, quae mensibus biliosis feminis oritur [56]. Descriptio hujus insaniae brevis haec est: Biliosi vero cum menses prodeunt, animi demissio (ὀλιγοψυχίη) sequitur; praeterea quoque corporis symptomata, de quibus in modo antecedente descriptione auctor tacuit, cibi fastidium scilicet, insomnia, frequens ructus. Anxietate aegrotae cruciantur, recusant ambulare, demisso sunt animo, non cernere videntur et quaecunque metuunt. — Huic melancholiae speciei hysteriae aliquid inesse, non false dixeris.

Id melancholiae genus, ex quo autocheiria nasci solet, haud rarum Graecis fuisse videtur; nam praeter illos locos, quorum iam mentio facta est, commemoratur melancholia, quam vitae satietas comitatur, in libris Hippocraticis pluries. Sic primum moerore confecti et male se habentes, qui mortem laqueo sibi consciscere volunt, attinguntur, quibus mandragorae radix commendatur [57]. Praeterea aegroti cuiusdam Parmenisci historia bis nobis narratur [58], quem iam antea animi desperatio interdum invaserat, adeo ut vita defungi cuperet; interdum vero, rursus securo erat animo; (intermittens igitur eius insania fuit). Deinde cum Olynthi esset, acuto morbo affectus est, cui animi alienatio accessit.

In libris de morbis vulgaribus [59] bis, et semel in epistolis [60], historia ejusdem Nicanoris legitur, quae sane memoratu digna est. Nicanoris enim affectio talis fuit, ut, quoties ad convivium se conferebat, tibicinae metu afficeretur, ita ut, tibiae cantu audito, cum nox aderat, in convivio se diutius non manere posse diceret. Interdum autem, cum tibiam audiret, nihil patiebatur. Haec vero diu eum comitabantur.

Alius aegroti, in quo insania magis quam in hoc expressa erat, mentio fit in Epidemicorum libro iam commemorato [61]. Ultimo loco Democles, primo Timocles nominatur. Hic caligine tentari et

---

56) De morb. mulier. I, p. 594.
57) De locis in hom. p. 520. v. 20.
58) Epid. VII, p. 1234. et ib. V, p. 1160.
59) Ib. V, p. 1159; — ib. VII, p. 1233.
60) Pag. 1287.
61) L. c.

soluto esse corpore (λυσισωματεῖν i. e. dissolutum et languidum corpus habere) sibi videbatur, neque per praeruptum locum iter facere, neque pontem neque etiam scrobem quidem, minime profundam, transire audebat, timens, ne caderet; verum per ipsam scrobem ibat; idque illi aliquamdiu contigit. Quem aegrotum non solum vertigine tentatum fuisse, sed etiam fixa sibi cogitatione laborasse, narrator huius historiae (Hippocrates quartus) innuit eo, quod aegrotum λυσισωματεῖν sibi visum esse dicit; nam hoc graecum verbum inusitatum est, quod alias nusquam usurpatur. Ob vertiginem, etsi vehementissima fuisset, tamen scrobem minime profundam (τ' οὐλάχιστον βάϑος τάφου) transire (non positum est: transilire) potuisset. Inde hunc morbum ultra vertiginem et idiosyncrasiam evagatum esse sequitur.

V. *Omnes insaniae eiusque diathesis species, quae desriptae in libris Hippocr. occurrunt, in brevi conspectu positae.*

Dispositio ad insaniam,

1) ad maniam; duo gradus:

a) homines adhuc sani (de diaeta I. p. 352); *b*) iracundi, excitati (ib.).

2) ad amentiam et melancholiam; duo gradus:

a) homines fere sani (ibid. p. 351); *b*) stolidi (ib.).

I. *Amentia.*

1) Amnesia cum tristi animo (lib. de morb. sacr. p. 309. — Tract. de insan. p. 1286).

2) Imbecillitas (de diaet. I. p. 351).

II. *Mania.*

1) Conditio subfuriosorum (maniae proxima, nisi morbus ipse) (I. p. 352).

2) Mania cum austero et tristi animo (lib. de morb. sacr. et tract. de ins. ll. cc.)

3) Mania ebriosa (vinosa) (de diaet. I. p. 347).

III. *Melancholia.*

1) Melancholia cum tristi animo, amentiae proxima (lib. de morb. s. et tract. de ins. ll. cc.); eadem abdominalis (de morb. II., 486).

2) Melancholia cum vitae satietate intermittens (epid. VII., 1234, ib. V., 1160); — cum nisu ad autocheiriam (de virg. I., 562; de loc. in hom. p. 420).
3) Mel. hysterica (de morb. mul. I., 594).
4) Mel. daemonomaniaca (de virg. l. c.).
5) Mel. panica (epid. V. p. 1159.; epid. VII. 1233.).
6) Mel. cum fixa idea (ib.)

VI. *Physiognomica et semiotica nonnulla.*

Haec naturales insaniae notae fere omnes ex libro II. de morb. vulg. sectione 5 et 6, quae titulum habent: φυσιογνωμικὸν, depromtae sunt et nonnullae etiam ex libro de iudicationibus, ita ut nobis persuasum habeamus, primi Hippocratis non esse. Nam ille magnus veterum medicus non tales coniecturas, ut illic occurrunt, edicere solebat, sed magis ea, quae experientiae debentur.

Multa, quae in libro II. Epid. continentur, obscura sunt et inter se invicem seiuncta, cum non ab uno Hippocratico profecta sint, sed a multis, quod iam Galenus notavit[62]). Collectus liber ex adversariis Hippocratis ei videtur, sine ullo ordine. — Alter liber, in quo nonnullae enunciationes ex lib. II. Epid., nos hoc in loco attingentes, repetuntur, etiam opus mutilum est, ut Grimm[63]), ex mea sententia, iure suspicatur. Plura etiam, si totum spectas, quam in altero, in hoc emendatione indigent. Nil aliud enim hic libellus est, nisi a posterioribus Hippocraticis ex genuinis scriptis consarcinatus, qui omni ordine, non raro etiam sensu caret. — Multum vero absit, ut audeam obscuros locos, qui nobis obviam veniunt, explicare; proferam dicta, ut in contextu secundum ordinem posita sunt. Si quaedam mihi emendanda videntur, in appendice latius exponam.

1) »Balbus vero, aut calvus, aut qui inter loquendum haeret, aut corpus hispidum habet, morbis conflictantur admodum melancholicis«[64]).

62) Comm. II. in II. epid. p. 124. tom. IX.

63) L. c. T. II. p. 578.

64) Pag. 1040, C. Sequentem enunciationem, quae, ut eam legimus, ex sententia huc pertinet, reiicio, qui perversam esse censeo. Quae sententia emendato huic exemplo insit, videbis in appendice sub Nro. I.

Inter aphorismos similis occurrit: »si lingua derepente incontinens, aut aliqua corporis pars soluta evadit, id melancholicum est« [65]. Aristoteles veritatem huius sententiae probare studet [66].

2) »Cui in cubito conspicue arteria pulsat, is furibundus et iracundus; cui vero quiescit, is torpidus (stupidus) est« [67].

3) »Varices, qui in calvis apparent, nisi magni sunt, furorem in iis annuntiant« [68].

4) »Quibus caput magnum, oculi parvi, ii balbutiunt, in iracundiam sunt praecipites« [69].

Haec sententia magni est momenti pro diathesi maniae, in quam iracundi (ὀξύθυμοι) facile transire possunt. — Similis huic sententiae una ex sequentibus, cuius verba sunt: »qui conniventibus oculis aspiciunt, iracundi sunt« [70].

5) »Balbutientes, qui effuse verba pronunciant, melancholici et biliosi sunt« [71].

Verbum ταχύγλωσσος non in optimo sensu hic accipiendum esse videtur, sed illam linguae volubilitatem significat, quae in ebriis invenitur. Hoc iam e verbo antecedente τραυλοὶ colligere licet. — Obscura est vox κατακορέες, quae proprie designat: plenum, satiatum, impletum; tum bilis multis in locis supplenda videtur, unde est i. q. biliosum; alioquin etiam hic locus bono careret sensu. Biliosus et melancholicus minime idem valent; biliosi iracundi esse solent, melancholici autem potius lento animo.

6) »Qui pectus biliosum habent, ii balbutiunt, in insaniam proclivi et calvi« [72].

---

65) Aphor. VII, 40.
66) Quaest. naturae II, 38.
67) L. c. 1046. C. οὗ ἂν ἡ φλὲψ — τυφώδης.
68) Ibid. D.: κιρσοὶ δὲ φαλακρῶν ἢν μὴ μεγάλοι ἔωσι, μανιώδεες.
69) Ib. 10. 1050. D.: ἢν κεφαλὴ — ὀξύθυμος.
70) Ib. ἀσκαρδαμύκτοι ὀξύθυμοι.
71) Ibid. p. 1075. E. οἱ τραυλοὶ — κατακορέες.
72) Ib. ὧν κατακορέα — φαλακροί.

7) »Ex his, qui etiam a natu distortum corpus habent, animo hebetes (stolidi) aut calculo obnoxii aut insanientes (μαινόμενοι) sunt« 73). — Fortasse rhachitici?

8) »Sanguis in mammas coactus furorem praenuntiat« 74).

9) »Morbis melancholicis subitaneae depositiones materiae morbi illuc (in hanc directionem) periculosae sunt; aut apoplexiam, aut convulsionem aut maniam aut caecitatem annuntiant« 75).

VII. *De frequentia et tempore insaniae in universum, eiusque singulorum generum.*

Foderé 76) aliique recentiorum antiquis Graecorum temporibus insaniam multo rariorem fuisse, quam hoc tempore, coniiciunt; vérumtamen num certa haec coniectura sit, nondum evictum me habeo, cum ea, quae ei ex nostra cogitationum serie sequi videntur, non prorsus haec confirmare videantur. Nam unicuique, qui Hippocrati operam dedit, in mentem venire oportet, immensum fuisse in morbis illius temporis numerum symptomatum, quae nervosa vocantur; ubique enim convulsionum, tetani, paralysis, vocis defectus, et eiusmodi affectionum mentio fit, ac fere omnes febre vexati deliraverunt. Quin etiam complures ex antiquissimis libris imprimis de delirio agunt, e. g. prorrheticorum et prognosticorum libri. Non inde suspicari licet, etiam insaniam affectionem delirio cognatam, tunc temporis crebriorem fuisse, cum iam in Graecorum tragoediis excellentissimorum heroum insanos nonnullos inveniamus, e. g. Herculem, Aiacem, Orestem, Athamantem, Alcmaeonem, Bellerophontem? Plato multis in locis de mania, i. e. chronica animi affectione, loquitur; et νουσεῖν praecipue de animo usurpatur. Scriptor

---

73) Ib.: τουτέων ὅσοι — μαινόμενοι.

74) p. 1056. G.: τῷ μέλλοντι — τιτθούς.

75) Ad explicandam sententiam huius genuini Hippocratis aphorismi (VI, 56), causasque exponendas, a quibus motus contextum mutare ausus sim, in appendice (Nro. II.) occasionem mihi arripiam.

76) *Traité du délire. T. II. p. 22.: »Dans le fait, les Asclépiades et les autres anciens medécins grecs ont très-peu parlé du délire chronique, qu'ils auraient fait, s'il eût été aussi commun que parmi nous.*

libelli »περὶ παρθενίων« insaniam puellarum, melancholiae speciem, inter eos, quos ἀειγενέες nominat, morbos refert.

Ea animi conditio, quam melancholiam nuncupamus, omnino mania vera frequentior fuisse videtur. Etsi alii aliter censeant 77), tamen hoc iam supra ostendisse putamus 78).

Quod ad anni tempora attinet, quae animi affectionibus conveniant, ver et autumnus nominantur. De vere dicitur: τοῦ μὲν γὰρ ἦρος τὰ μανικὰ καὶ τὰ μελαγχολικά 79). Deinde morbus, qui φροντὶς nominatur, verno tempore plurimos prehendere narratur 80).

Cum ex veterum opinione, et inter eos Hippocraticorum quoque, insania morbus esset, qui praecipue e bile nascatur, bilis vero autumno plurima et validissima haberetur, maniam quoque inter morbos biliosos autumno enumerari oportere inde sequitur. Sic igitur Hippocrates in aphorismis 81) docet: autumno praeter aestivos morbos alii etiam homines invadunt, inter quos mania et melancholia est.

Caput IX.

De origine insaniae.

I. *De causis remotis in universum.*

De dispositione ad insaniam, quae in libris nostris traduntur, ea non nisi theoriam spectant, neque igitur hoc in loco significaturos nos ea, quae de vera insaniae origine Hippocraticis iam nota fuerint, attingunt.

77) Lichtenstaedt l. c. p. 166.: *Von den besondern Arten der Geisteskrankheiten kommt bei Platon, wie überhaupt im Alterthume nur die vor, wo sich bei mangelhaftem Urtheile ein heftiger und der Vernunft nicht gehorchender Trieb zum Handeln zu erkennen gibt, die Wuth, μανία.* — Sane quidem; paene unius μανίης, eiusdem tamen semper fere febrilis, neque chronicae mentio fit.

78) Cf. VIII, 3.

79) Aphor. III. 20.

80) De morb. I. 486.: ἡ νοῦσος ἐνιότε τοὺς πλείστους λαμβάνει τοῦ ἦρος.

81) Aphor. III. 22.

Id sane unum opus est, quod commemoremus, atrabilares homines magis, quam ceteros ad insaniam (non solum ad melancholiam propriam, sed etiam ad maniam) dispositos haberi solitos [82]). Omnia, quae humorem atrabilarem excitare credebantur, etiam inter ceteros morbos melancholicos insaniae ortui ex eorum opinione favere oportuit. Neque tamen has omnes hypotheticas causas, quae occurrunt, enumerare nostrum esse puto; at liceat mihi id afferre, quod de carnis bubularum usu referunt, affectiones melancholicas eo ingravescere, quod earum natura minime superare queat. (Galenus caseum iuxta carnem bubularum in hac ratione ponit). — De causis occasionalibus nihil fere dicitur, et conditiones, ex quibus insania, ut exemplis probabitur, exoriri potest, causaene occasionales an morbi insaniam praegressi habendi sint, non patet, cum in universum paucis insaniae originis mentio fiat. Non nisi semel causarum occasionalium maniae nonnullae commemorantur, scilicet ubi subfuriosi describuntur, qui a vini potu, carnis usu, et in universum a bona corporis habitudine iam furere nobis traduntur [83]).

II. *De origine insaniae ex corporis morbis.*

Maior pars locorum, in quibus de diversa origine insaniae Hippocratici aliquid nobis reliquerunt, corporis morbos, e quibus insania exoriatur, affert; mera enim animi affectio, sine causa externa exorta, quae in insaniam transeat, non occurrit. Hippocraticorum, quibus, expulsis superstitionis et ignorantiae maxima ex parte erroribus, melior erat quam praeteriti temporis Graecis cognitio, impietatem et nefas commissum procreare insaniam, opinio nullo modo esse potuit. — Recenseamus nunc, quae de insania ex corporis affectionibus orta invenimus tradita.

---

82) Lib. de morb. I. p. 460.: »Atra bile vexati, cum sanguis a bile et pituita corruptus fuerit, morbo corripiuntur, mente alienantur, quidam etiam furibundi fiunt.« False in versione Foesii: — — mente alienantur, quidam etiam insaniunt. Nam *μαίνεσθαι* hoc in loco nil aliud nisi furere esse potest, quia iam *παρανοεῖσθαι* antecedit. — Deinde mania depositio periculosa morborum atrabilarium nominatur. Aph. VI. 56.

83) De diaet. l. c.

1) *Insania febrem secuta.*

Exempla furoris, qui febrem sequitur, frequentissima nobis obviam veniunt, sed, quum iisdem saepissime verbis, ut audivimus, alienatio mentis, tum quae in febre, tum quae sine febre fit, designetur, velut voce *παράνοια*, quumque pro furore, cuius speciem fere omne delirium febrile fert, nullum aliud nomen nisi *μανίη* Graecis fuerit, fieri non potest, quin haud raro de mentis alienatione e febre orta, tacente simul de febris continuatione scriptore, chronicane habenda sit, nec ne, haereamus. Hic duo tantum exempla mihi liceat proferre, in quibus signa, quae, chronicam insaniam ut intelligamus, magis commendare, quam dissuadere videntur, non desunt.

a) Hippocrates genuinus observasse febrem scribit [84]), in quo natu maioribus et quos iam calor defecerat, praeter resolutionem partium (paraplegiam) et caecitates, etiam mania (*μανικὰ*) accedere solebat. Cum caecitas et paraplegia chronicae plerumque sint affectiones, furor quoque hoc in loco chronicus haberi potest. Ceterum respondet hic locus aphorismo VI, 56, praesertim quum, auctore Galeno, quod etiam in uno codice scriptum est, post *μανικὰ* addideris *ἢ μελαγχολικά*.

b) »Febres, in quibus mens iam perturbata est, in oris ventriculi dolore non bilioso, insania (*τὰ μανικὰ*) solvit [85]).« At permaneatne furor, necne, ex illo praenotionum aphorismo non comperimus. Iterum igitur dubius locus.

Hoc fere modo omnes comparati sunt, ut non multum ex iis in nostram rem trahere liceat. — Sic quoque in sequente loco, qui nihilominus memoratu dignus est; etsi enim, quod veri est simile, solum de delirio, quae dicta sunt, valent, id scilicet in febre ex impedita crisi accidere: certe etiam insaniam post febrem exortam crisis impeditae signum ab Hippocraticis habitam esse nos ut concludamus impellimur. Locus, ad quem respicimus, hic est: »iis, quibus aures obsurduerunt, febris non soluta est, quod fit epistaxi, diarrhoea biliosa, dysenteria aut coxendicum aut genuum dolore succedente, his furere opus est (*μανῆναι ἀνάγκη*)« [86]).

---

84) Epid. Lib. I, p. 949.
85) Coac. praenot. I, 207.
86) De iudic. p. 55.

2. *Insania ex epilepsia.*

a. *Melancholia.* »Morbo comitiali laborantes melancholici fieri solent« [87]. Sub melancholicis hic non in universum atra bili vexatos intelligendos esse, ut false quidam opinati sunt, sed mente affectos, ea quae sequuntur in verborum continuatione, demonstrant. Tum enim, si mentem morbus arripuerit, epileptici fiunt melancholici. In morbo autem atrabilari in universum animum non vexari, sed in melancholia, tantum peculiariter ita dicta, cognitum est. Utrum solvatur epilepsia hanc post metaschematismum, an diutius remaneat, ex verbis illis non apparet. Maniam quidem eam sanare dicitur; verum melancholica ecstasi epilepticis, qui mente male sunt affecti aut qui apoplectici facti sunt, ne minimum conducere aperte narratur [88], quamquam ceteris epilepticis, ut γάρ illius loci indicat, saluti esse solet.

b. *Mania.* »Furor magnum morbum (i. e. comitialem) invadendi consuetudine iam familiarem factum solvit« [89]. Μανίη hujus loci sitne furor chronicus an febrilis, quia haec enuntiatio neque cum iis, quae antecedunt, neque quae sequuntur, cohaeret, pro certo definiri nequit. At si dixerit quispiam, hanc ex libro de judic. depromtam sententiam, cum totus liber non nisi ex ceteris compilatus et compositus sit, repetitionem esse illorum, quae e melancholia dicta sint (nam μανίη hoc in loco dictum est pro generali insaniae denominatione); huic equidem nihil nisi hoc, quod respondeam, habeo: epilepsiam in melancholiam quidem transire, ut modo audivimus, sed hinc nondum sequi, ea solvi; itaque circumscriptiorem esse hujus enunciationis sententiam. Praeterea non ignota esse medicis exempla maniae, qua epilepsia remota sit. — Num huic sententia secunda vice nobis in scriptis Hippocraticis obviam veniat, in appendice (Nr. III.) accuratius considerandi locus erit.

3. *Insania ex convulsionibus.*

Verbotenus his dicta sunt haec: »cum homo distortis pedibus et

---

87) Epid. VI. p. 1001. *οἱ ἐπίληπτοι εἰώθασι γίνεσθαι μελαγχολικοὶ, εἰ ῥεύσῃ τὸ ἀῤῥώστημα ἐπὶ τὴν διάνοιαν.*

88) Prorrh. II. p. 93. C. *πλὴν ὅσον- λυσιτελέες.*

89) De judic. l. c.

manibus fuerit, insaniam sibi inducit« 90). Foesius ad verba ὁπόταν ἄνθρωπος annotat: »Istud videtur de convulsione intelligendum, velut eidem adscribitur libello περὶ κρισίων, etsi parum integrum videtur, ac incertum est an huic venarum inustionem pro curatione apponat, ut volunt quidam codices et interpretes.« — Illud ἑωυτῷ ποιέει μανίην me quidem non intelligere confiteor; verumtamen vehementibus convulsionibus perpessis hominem saepe mente laborare, quod illa enuntiatione indicatur, minime contra experientiam esse puto.

4. *Ex mensibus irregularibus.*

a. Daemonomania et nisus ad autocheiriam exoritur in puellis sub mensium descensum, sanguine in utero retento, neque exitui via data. Sanguinem, qui effluvio, quamquam copiosior effluat, careat, propter copiam ad cor et septum transversum resilire sibi fingebant veteres Hippocratici. Ubi vero hae partes repletae fuerint, cor obstupescit, et ex torpore inde exorto insania (παράνοια) puellas invadit 91). Ex plethora igitur uteri secundaria cordis functione oppressa, insania puellis nascitur.

b. Biliosos menses animi deiectio sequi solet, et subinde ciborum fastidium, anxietas, insomnia, aliaque symptomata melancholiae, quae supra jam recensuimus.

5. *Ex sanguine in mammis collecto.*

Non audeo explicare, quomodo intelligenda sit haec maniae causa, utrum menses irregulares eam efficiant, an inflammatio mammae sub συστροφῇ τοῦ αἵματος intelligenda sit. Ceterum duobus in locis huius memorabilis insaniae originis mentio fit. Alter generalius dictus est, quam ut solum mulieres spectet, sed cum semioticus magis haberi possit, jam supra cap. VII, 6. illum commemoravimus, quapropter eum hic transire liceat. Alter inter aphorismos occurrit: »Quibusnam enim mulieribus sanguis in mammas colligitur, furor (μανίη) significatur 92).«

---

90) De loc. in hominib. p. 420. v. 28. ὁπόταν ἄνθρωπος συντεταμένος ᾖ τοὺς πόδας, καὶ τὰς χεῖρας, μανίην ἑωυτῷ ποιέει.

91) De rebus virgin. l. c.

92) Aph. V. 40.

Ille qui in lib. de Epid. II. legitur, nihil nisi hic aphorismus, licet commutatus, est; quod ex illius libri ortu suspicari licet.

6. *Mentis alienatio ex recursu lumbaginis.*

»Quibus lumborum dolor in caput et manus recursat, et qui, torpore affecti, oris ventriculi dolorem sentiunt, tenuibus et serosis humoribus abundant, ii liberaliter sanguinem profundunt. At vero his cum mentis perturbatione alvus effunditur« [93].

Brendelius hic hypochondriacos intelligendos esse censet, qui non raro spasticis doloribus capitis afficiuntur, unde insomnia et perturbatio animi exoriatur.

7. *Mania ex dolore inferiorum partium vehementissimo.*

Ita intelligenda est enuntiatio quaedam ex lib. II. Epid. [94]), nisi mutilatam eam habere cogimur. De hac infra sermo erit in appendice Nr. II.

III. *De origine insaniae ex vi rerum externarum.*

1. *Insania (mania?) ex usu radicis mandragorae.*

Duo remedia, quae propter salutarem contra insaniam vim a Graecis praedicabantur, etiam, ut ab Hippocraticis nobis traditum est, secundum eos maniam efficere pollent, majori, quam fas est, dosi porrecta. Bis, ubi mandragorae radix propinanda commendatur [95]), additur, »sed minori in dosi, quam ut furorem excitet (ἔλασσον ἢ ὡς μαίνεσθαι)«.

2. *Insania (mania?) ex usu radicis veratri.*

Postquam Democritus Hippocrati, qui eum sanaturus arcessitus erat, se sanae mentis esse demonstraverat, inter colloquium, cum illo habitum, etiam haecce dicit: »si mihi veratrum tanquam insano propinasses, ex prudentia insania (μανίη) facta esset, artemque tuam velut insaniae causam increpavissent. Veratrum enim sanis exhibitum menti tenebras offundit (ἐπισκοτεῖ διάνοιαν)« [96]).

---

93) Coac. praed. p. 168. No. 508. — Prorrh. I, 79, No. 139.

94) Pag. 1040 D.

95) Lib. de locis in hom. p. 420.

96) Epist. 1286.

Etiamsi haec non ex ore Hippocraticorum proveniunt, tamen omnino hunc veratri effectum iis notum fuisse patet; sin autem epistolae omnes spuriae sunt, neque Democritus ipse hoc revera dixerit, nil impedit, quominus eo certius, etsi non priorum Hippocraticorum, tamen posteriorum saltem haec sententia sit.

3. *Intellectus affectus ex usu vini.*

Insaniam quidem continuam ex vini abusu exoriri posse, veteribus haud notum fuisse videtur, attamen ebriorum statum tanquam furientium Hippocratici nobis depingunt. De vini effectu auctor libri de flatibus 97), dicit: »per ebrietatem concidunt animi functiones eiusque intellectus (*μεταπίπτουσι αἱ ψυχαὶ καὶ τὰ ἐν τῇσι ψυχῇσι φρονήματα*).«

4. *Mentis stupor ex frequentiore caloris usu.*

»Calidum«, Hippocrates in aphorismis docet, »iis, qui illo frequentius se exponunt, has affert noxias: carnis effeminationem, nervorum impotentiam, mentis stuporem (*γνώμης νάρκωσιν*) etc.« 98). Mentis stuporem chronicum esse ex morbi causa sequitur; nam diu tenens huiusmodi causa sibi parem efficit affectionem; neque carnis effeminatio nervorumque impotentia celeriter praetereunt.

5. *Mania ex sanatione haemorrhoidum exorta.*

In libro IV. Epid. 99) historia Alcippi narratur, qui per varices in ano sitos sanguinem fundere solitus, ab iis curatione liberabatur; quo facto insania correptus est (*ἐμάνη*).

IV. *De insania ex animi affectionibus orta.*

Aliam animi affectionem ab Hippocrate ut causam insaniae commemoratam proferre nequimus, quam timorem. Praeterea etiam dubitari potest de eo, num revera in locis mox recensendis causa insaniae appellari queat. Verumtamen nihil nos, quominus locos, qui hoc spectare aliis visi sunt, accuratius perpendamus, impedit.

---

97) Pag. 300.

98) Aphor. V, 6. p. 1253. *Τὸ θερμὸν βλάπτει ταῦτα πλεονάκις χρεομένοισι· σαρκῶν ἐκθήλυνσιν, νεύρων ἀκράτειαν, γνώμης νάρκωσιν* etc.

99) Pag. 1139.

1) Iam antea de puellarum morbo, quae daemones sibi infestos vident, mortemque sibi consciscere cupiunt, locuti sumus. De his simulque de ceteris hominibus ita vexatis traditur: »ex terriculis (περὶ τῶν δειμάτων) tam vehementer perterrentur, ut desipiant.« Ratione autem totius morbi, cuius aetiologiam considerandi postea adhuc nobis occasio erit, habita, perterreri a terriculis insaniae initium iam nobis esse videtur, haudquaquam autem eius causa: quod utrumque saepenumero confundi solet, dum initium insaniae ipsius causa habetur. In puellis et mulieribus haec in uteri et cordis affectione sine dubio quaerenda est.

2) Alius etiam est locus, quem hic exponamus necesse est: »οἷσι φόβου μετὰ καταψύξιος ἐξίστανται, πυρετοὶ μεθ' ἱδρώτων, καὶ ὕπνοι οἱ πάνανδαι ταῦτα λύουσιν [100]). In Foesii editione hic ita translatus est: »Quibus vehemens mentis emotio ex motu cum perfrictione contingit etc.« Addit dein in adnotationibus editor: »Haec sententia de industria ex dictione insolenti et affectata est obscurata..« — Aliter locum interpretatus Duretus [1]), eum sic reddit: »Quibus a metu febris vacuo ad furorem egressio est etc.« Ei κατάψυξις idem quod apyrexia esse, deque transitu metus febrilis in furorem hic agi videtur. Vix tamen credo, κατάψυξιν hac vi posse accipi, quamquam caloris exstinctionem significat. Nam calor deesse potest, quin febris cesset. — Brendelius [2]) ad genus melancholicum hoc effatum refert, quod φόβος ei indicare videtur; ante enim paroxysmum torporis et delirii timidos tales aegros esse. Quibus variis de hoc loco sententiis comparatis neque chronicum furorem hic intelligendum, neque φόβον tamquam ecstasis causam habendum esse apparet. Attamen Dureti, viri propter Hippocratis cognitionem celebrati, opinio sane digna fuit, quae hic paucis verbis attingeretur.

---

100) Coac. praenot. 195. A.
1) L. c, p. 359.
2) L. c. p. 199.

Caput X.

Opiniones Hippocraticorum de causis, ex quibus insaniam ortam existimabant.

Non fieri potuit, quin leviter jam antea theorias Hippocraticorum, quae de insaniae causis internis nobis ab iis traditae sunt, tetigerimus; nam accuratius de iis hic demum nobis sermo erit. Neque tamen locos, ex quibus corporis affectionem apparet ubique ab Hippocraticis primariam habitam, neque aliter nisi mente ex corpore affecto insaniam iis exoriri visam esse, denuo commemoremus necesse est. Provocamus ad ea, quae ea de re iam exposuimus.— Theoriae autem de insaniae genesi ex spuriis libris compluribus petitae, cum inter se nullo modo cohaereant, et fere sibi invicem repugnent, systematica ratione et via vix proferri possunt.

Morbos Hippocratici omnes fere, imprimis ille, qui librum de humoribus scripsit, ab humorum atque flatuum corruptela et excessu ducendos existimaverunt. Corrumpuntur humores aere, aqua alimentisque; cursum excedunt propter attractionem, redundant una alterave causa, si maior eorum copia exstitit, vel nimius motus. Neque tamen ullus ex omnibus humoribus atram bilem eo superat, quod ei in provocandis morbis maiores tribuuntur partes; plurimi enim morbi ex eius vitio et praecipue acrimonia exorti habebantur, tam acuti quam chronici, rarius vero hi quam illi. Quomodo succus atrabilaris nascatur, exponere nolimus; namque in singulo libro de humoribus res quum tractata sit, et Lorry [3]) eius ortum et effectum secundum Hippocraticorum rationem exposuerit, supersedendum duximus. Sanguis, cum aliqua huius humoris parte coniunctus, eo maioris est in animi affectionibus momenti.

Singulis iamiam in hac ratione prolatis, tamen totum locum, qui inprimis huc spectat, integrum exhibere, operae pretium erit: »Impri-

3) L. c. p. T. I. p. 193.

mis autem« inquit auctor libri de flatibus, »in animum induco ex iis, quae in corpore insunt, nihil magis ad intelligentiam conferre quam sanguinem. Is autem, ubi consistente habitu persistit, prudentia etiam constat. Permutato vero sanguine, simul quoque intelligentia concidit. Ita rem sese habere, multa sunt testimonia. Primum quidem somnus, qui omnibus animantibus communis est, quae dicta sunt confirmat. Is enim ubi corpus corripuit, sanguis refrigeratur, cum suapte natura somnus refrigerare soleat. Perfrigerato autem sanguine tardiores sunt eius transitus. Id vero inde fit manifestum, quod corpora sua gravitate inclinantur, cum gravia omnia ad imum ferri natura soleant, oculi clauduntur et intelligentia permutatur, opiniones etiam alienae diutius morantur, quae insomnia appellantur. Rursus vero per ebrietatem aucto repente sanguine, animi functiones intellectusque concidit, et malorum instantium obliti futurorum bonorum optimam spem concipiunt. Multa etiam eiusmodi in quibus sanguinis permutationes intelligentiam immutant, commemorare possum; sed nunc omittam. Perturbato igitur in universum sanguine, prorsus quoque intelligentia deperit [4]).« Verum non solum sanguis corruptus, sed etiam quivis humor isque acrimonia mutatus, cerebro occupato, pro causa insaniae habebatur. Cerebrum igitur illud organum est, ex quo insania originem ducit, bilis autem ceterique humores in causa tantum sunt, cur eius functio turbetur. Sic in initio tractatus de insania: »Insanit homo ob humiditatem cerebri, in quo animi sunt officia; quod si humidius, quam pro natura est, moveatur necesse est etc. — Homo autem eo tempore sapit, quo cerebrum quiescit [5]).« Idem dictum est in in libro de morbo sacro [6]): »Atque haec omnia (sc. generalia mentis alienationum phaenomena) ex cerebro nobis contingunt, cum minime sanum, sed natura calidius exstiterit aut frigidius, aut humidius, aut siccius, aut aliam quandam praeter naturam et consuetudinem affectionem senserit. Ac insania quidem nobis ab humiditate contingit. Cum enim natura humidius fuerit,

4) De flatibus p. 300. *ἡγέομαι — ἐξαπόλλυται.*

5) Epist. pag. 1286. *μαινομένω — κινεῖσθαι* et *ὅσον — ἄνθρωπος.*

6) P. 308, *καὶ ταῦτα πάσχομεν — ὁ ἄνθρωπος.*

agituri necesse est, atque ubi movetur affectio, neque visionem, neque auditionem conquiescere, sed aliud interdum cernere et audire necesse est, linguamque eadem, quae singulis momentis videt, et audit, effari. Quo tempore cerebrum conquiescit, eo etiam homo sapit.« Recte ad hunc locum Galenus innuens, Platonem in Timaeo eandem sententiam »humiditatem esse sedem dementiae, et ariditatem intelligentiae«, protulisse monet 7). — Iam etsi ex locis modo commemoratis, quemque humorem, si moveat cerebrum, insaniam efficere sequi videtur, tamen alias duo inprimis nobis nominantur humores, qui continuam, ut verba sequar, insaniam efficiunt 8). Hi sunt pituita et bilis, ex quibus, corrupto per eos sanguine, diversa duo insaniae genera, quae iam novimus, derivabantur. Bile, dum calefit, transmutatur cerebrum, unde sanguis in venis ebullit, cum bilis per venas sanguine plenas irruat e corpore ad cerebrum. Tum exoritur impetus furoris, qui cessat, sanguine in venas reverso. Ex pituita vero perfrigescit cerebrum et praeter consuetudinem cogitur. — Neque vero unicum malum est, cujus inculpabatur pituita, *ἄφρονας* homines reddens, sed, cum veteres sibi fingerent, aërem per arterias in cerebrum et ad ejus ventriculos pervenire, quo cerebrum vim vitalem acciperet, ita ut intelligentiam et motionem membris praebere posset, pituita ab arteriis aërem excludente, vocis defectum et privationem mentis effici putabant, ut in morbo sacro fieret 9). — Melancholicos ex pituita simul cum bile insanire credebant Hippocratici, phreniticos solum ex bile, ut effatur auctor lib. I. de morb. 10). Quorum insania, quo magis bilis a pituita superatur, eo mitior est. Bilis enim causa furiosae insaniae habebatur. — Illud vero quomodo ibidem atrabilaribus bilis et pituita causae insaniae dici possint, cum atra bilis eorum corpus dominetur (nisi bilis hoc in loco

---

7) De anim. mor. et corp. temp. cap. V. (edit. Frob. I, 1142).

8) De morb. sacro l. c. *ἢν μὲν οὖν ξυνεχέως μαίνωνται, αὗται αὐτοῖς αἱ προφάσιές εἰσιν.* Eadem sententia iisdem verbis in tractatu de insania reperitur. (l. c.)

9) De morb. sacr. p. 305. *φλέβες* dictae sunt, ut saepenumero in Hippocrate, pro *ἀρτηρίαι.*

10) Pag. 460, v. 45.

pro atra dicta sit) intelligere non valeo. Haec enim, ut supra jam diximus, cerebro occupato, in melancholicis mentem alienat. Neque in spuriis libris haec opinio solum profertur, sed etiam in genuinis; hoc modo enim aphorismum IV, 9 intelligendum esse censeo, in quo laxare alvum melancholicis commendatur, cui additur: τῷ αὐτῷ λογισμῷ τ'ἐναντία προςτιθέντες, i. e. quia bilis versus cerebrum fluit; eam laxando alvum deorsum pellere oportet, ut cerebrum ea liberetur.—In posterioribus Hippocraticis non desunt, quae bilis vim exponant. At sitne ἡ μέλαινα χολή, quae saepenumero commemoratur[11]), sub illa semper intelligenda, an ἡ ξανθὴ χολή, cujus raro mentio fit[12]), an denique bilis, utramque speciem complexa, id vero discernere non audeo. — Attamen non solum apud Hipprocraticos, verum etiam apud omnes veteres medicos bilis maximi momenti est; ut taceam de Galeno. — Democritus Hippocrati narrat se tractatum scripsisse, bilis, quae, ubi redundarit, cum inprimis insaniae causa sit, naturam et sedem inquirens. Hic illi prorsus assensit, ut in epistolis narratur[13]). Neque secus in deliriis eisque vehementissimis bilis alienationis mentis causa Hippocraticis videbatur, quod solitum ecstasis epitheton, melancholica scilicet, jam satis indicat[14]). Ita quoque bilis illius memoratu dignae insaniae, quae intermittens, inter febrilem et chronicam medium tenens, peregrinantes praecipue invadebat, causa indicatur[15]). Talia omnia bilem efficere credebant nonnisi cerebro ab ea occupato; sed etiam, ut audivimus, »quibus pectus biliosum est, furibundi sunt[16]).«

Praeter hanc pathologiam ut, ita dicam, humoralem, ex qua insaniae ortus in libris Hippocraticis explicatur, etiam alia theoria ab hac multum diversa exposita invenitur, quae in ignis et aquae contempera-

---

11) Ut ex. gr. epid. VI, p. 1158. v. 24.
12) Ex. gr. de prisc. med. p. 16. v. 17.
13) Pag. 1281.
14) Galenus eodem modo effatur: vehementissima deliria proveniunt e bili (praesag. ex puls. lib. III. edit. Frob. 462. A.).
15) L. de intern. affect. p. 558.
16) Vide supra p. 45.

tione causam insaniae quaerit. Prout alterutrum praevalet, vel furor, vel exoritur animi imbecillitas. Phaenomena horum generum iam descripsimus. Quomodo auctor hujus hypothesis [17]) hanc contemperationem sibi cogitaverit, non exposuit. Corpoream vero eam sibi finxisse, satis superque mala ciusmodi contemperatione laborantibus cura demonstrat praescripta.

Sicut haecce theoria ab iis, quae de bile poni solent, differt, ita quoque illud aetiologiae specimen, quod de morbis puellarum, quae daemonomania et nisu sibi mortem inferendi vexantur, proponitur. Neque tamen malae est notae, immo ceteras omnes explicationes veritate superat. Quam ab rem hanc causae insaniae expositionem verbotenus ut huc transscribamus licitum sit. »Sanguis enim in utero continetur, velut qui effluere debeat. Cum igitur exitus non detur, copiosior autem sanguis per cibos et corporis incrementum affluat, sanguis effluvio carens propter copiam auctam ad cor et septum transversum revolvitur. Quibus oppletis, cor obstupescit, indeque torpor et ex torpore insania oritur. Non secus ac si quis diutius sedeat, ex coxis ac femoribus in tibias et pedes depressus sanguis torporem affert, ex quo pedes ad ingrediendum incapaces redduntur. Cum cor et septum transversum oppleta fuerint, etiam horror cum febre irruit, etc.« — [18]). Ex uteri plethora igitur cor afficitur, quod sanguine oppletum obstupescit, denique ex hujus organi torpore παράνοια exoritur. — Quod ad ceteras insaniae singulas species attinet, earum descriptioni talis pathogenetica explicatio deest.

Caput XI.
Prognostica quaedam.

I. *Prognostica, quae ad certas descriptas insaniae species spectant.*

1. Prognosis illarum conditionum animi et corporis, quae, gradu diversae, ad furorem propensae sunt:

17) De diaeta p. 351.
18) L. c. p. 562, 553. ὕστερον γὰρ τὸ αἷμα — ἀναΐσσει.

a) Hominum primi gradus natura, quod ad prudentiam, quamquam felix, melior tamen efficitur, quum bona, deterior contra, quum perversa victus ratione utatur.

b) Secundi gradus hominibus multum ad prudentiam confert, si minime obesi (corpulenti) fiunt. Ad optimum enim corporis habitum inflammatio ardoris (καύματος φλεγμονῇ) facile accedit. Quod cum acciderit, ejusmodi animus aqua superata in furorem fertur, fervetque.

c) Subfuriosis insania instat, ita ut jam a levi et contemnenda inflammatione insaniant, tam vini potionibus, quam carnis usu, et obesitate. Curam autem bonam ejusmodi animus expertus sanus evadet [19]).

2. Homines contrarii illis, qui natura sunt tardi, si apta victus ratione utuntur, ad bonam valetudinem prudentiamque reduci possunt [20]).

3. De illo morbo, qui φροντὶς nominabatur, quod ad prognosin haec valent: Si remedia praescripta bene adhibita sunt, temporis successu aegrotus morbo liberabitur. At nisi diligentem curam medicus adhibuerit, morbus usque ad mortem persistet [21]).

4. Quodsi cura idonea melancholiae menses biliosos sequutae adhibetur, aegrota convalescit, alioquin vero procedente tempore magis semper affligetur. Optimum autem erit, si biliosa accedit vomitio, alvus non perturbatur vehementer, et biliosa subeunt, nec tamen vehemens eo supervenit muliebre profluvium. Horum enim si quid vehemens in corpus confectum inciderit, in periculo versabitur. Quodsi biliosi humoris aliquid, aut id totum, quod molestiam affert, purgatur, restituitur aegra. Si vero neque curatur, neque horum quidquam contigit, mulier moritur. Solet autem hunc morbum menstruus fluxus biliosus excipere. Quod quum acciderit, primis quidem diebus pauca apparebunt, in dies vero copiosior fiet fluxus. Cum vero tempus processerit, fere semper morbus gravis evadit, biliosaque purgatione prodeunte uterus mordetur et ulceratur.

---

19) De diacta I, 352.
20) Ib. p. 351.
21) De morb. II, p. 486.

Verumtamen ex eodem diligenti cura, si menses coërcentur, restitui potest aegrota. Inflammatione accedente, ulcera exoriuntur, quibus sanatis mulier sterilis fit [22]).

5. Melancholiae daemonomaniacae et cum cupiditate mortem sibi consciscendi conjunctae liberatio est, si nihil sanguinis ex utero effluxum impedit. Deinde quoque si nuptae conceperint, sanae aegrotae fieri possunt. Quod nisi fiat in ipsa pubertate aut certe non multo post, viro non junctae malis illis tentabuntur [23]).

II. *Crises et exitus insaniae, quot ab Hippocraticis commemorantur.*

A. Exitus aperte critici, salubres.

1. *Varices et haemorrhoides.*

α) »Insanientibus varices aut haemorrhoides si contingunt, insaniam solvunt« [24]).

De insanientibus (*μαινομένοις*), non de delirantibus hoc Hippocrates magnus contendit; nam hic aphorismus, ut supra probare studuimus, cohaeret cum VI, 11, qui hoc generalior est. Quare Galeno, Dureto aliisque lubenter assentior, vocem *μαινομένοις* innuere melancholicos. Haemorrhoides enim cum atra bile arcto nexu inter se junctae veteribus videbantur; sic in Hippocratis Epid. VI, 5, aph. 24: *μελαίνης χολῆς ὡς ὅμοιον αἱμοῤῥοΐδι*. Revera etiam haemorrhoides melancholicis quam furiosis saepius exoriuntur.

β) »Melancholicis et nephriticis haemorrhoides supervenientes bono sunt« [25]).

Haemorrhoides omnino morbum atrabilarem, si ei accedunt, non semper quidem solvunt, verumtamen illi levamen afferre solent.

---

22) De morb. mul. p. 594. 10 — 30.

23) De reb. virg. l. c.

24) Aph. VI, 21.: *τοῖσι μαινομένοισι κιρσῶν ἢ αἱμοῤῥοΐδων ἐπιγινομένων, μανίης λύσις.*

25) Aph. VI, 11.: *τοῖσι μελαγχολικοῖσι καὶ τοῖσι νεφριτικοῖσι αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν.*

Quare solum illud ἀγαθόν. — Idem fere aphorismus etiam in libro de judicationibus [26]) reperitur, namque id solum, quod illic pro τοῖσι νεφριτικοῖς positum est: μετὰ φρενιτίδων ἐχομένοις (phrenitide detentis), discriminis interest. Praeterquam quod eo, quod phrenitidi ut ceteris acutis morbis multa rarius haemorrhoides, quam chronicis, et inter eos etiam morbo systematis uropoeticae, accedere notum est, jam utra lectio majoris pretii sit, apparet, etiam negligentiae, qua liber de judicationibus conscriptus est, ejusque ortus ratio habita, ad judicium nostrum de illa lectione confirmandum multum conferre potest.

2. *Dysenteria, hydrops et ecstasis.*

»Maniae si dysenteria, vel hydrops, vel ecstasis supervenerit, bene est [27]).«

Sub voce δυσεντερία Hippocrates ut ceteri veteres medici non solum eam affectionem intestini quam nostrates intelligebant, sed unumquodque alvi profluvium cruentum [28]). — De vi vocis ἔκστασις supra vidimus [29]).

3. *Convulsiones.*

»Convulsiones melancholicis omnibus succedentes, melancholias sedant [30]).«

Hoc effatum etiam de mente affectis valere, quod est additum πᾶσι, declarat.

4. *Febris.*

Cessavit furor Alcippo, curatas haemorrhoides secutus, cum febris accederet [31]).

5. *Vomitus* et 6. *Sanguinis profluvium ex utero*, ut supra comperimus.

---

26) l. c.

27) Aph. VIII, 5.: ἐπὶ μανίῃ δυσεντερίη, ἢ ὕδρωψ, ἢ ἔκστασις ἀγαθόν.

28) Boerhaave in Aph. de melanch. et mania 1124.

29) Cap. VI, p. 30.

30) Epist. p. 1290: σπασμοὶ πᾶσι τοῖς μελαγχολικοῖς ἐπιγιγνόμενοι παύουσι τὰς μελαγχολίας.

31) Epid. V, p. 1139.

B. Exitus infausti.

1. *Epilepsia.*

»Melancholici quoque comitiali morbo magna ex parte corripi consuevere« [32]).

Melancholicos hujus loci non esse omnino atra bile vexatos, quia morbus eorum e mente affecta oriri diceretur, sed solum melancholicos insanos, jam supra monendi occasio nobis fuit.

2. *Tussis et raucitas.*

»Ex insania (μανίη) in raucitatem cum tussi fit secessio« [33]).

Sicut in febre ex. gr. nervosa correptis, si delirio cessante mentis potestas rediit, haud raro catarrhus bronchialis, quin etiam phthisis pulmonalis exoritur, ita quoque in maniacis, si mens restituitur, interdum observare licet, prout mente convalescant, ita tussi vehementiori vexari. Brendel [34]) ad hunc locum adnotat: »Locus verissimus pertinet ad remissionem paroxysmi maniaci non solum, sed ipsius etiam maniae, dum vicissim in melancholiam, aut fatuitatem aut solitudinis timidum amorem et sqq.«

3. *Mors.*

α) Hanc sequi melancholiam ex biliosis mensibus exortam, nisi restituatur aegra, paulo ante audivimus.

β) »Animi abjectiones cum silentio, et solitudinis amores, quod veri est simile (plerumque?), se ipsos conficiunt« [35]).

In illorum enim partes transimus, qui hoc effatum ab antedecente, quod de leucophlegmaticis dictum est, separatum, de melancholicis confirmatis valere censent. Verumtamen ἐπιεικῶς αὐτῶν κατεργαστικαὶ ambiguam habet significationem, ita ut tripliccm interpretandi rationem admittat. Foësius quaedam, quae ad horum verborum sensum attinent, in adnotationibus ad hunc locum adjecit.

---

32) Ibid. VI, p. 1201.

33) Coac. praen. p. 195. : ἐκ μανίης ἐς βράγχον μετὰ βηχὸς ἀπόστασις.

34) L. c. p. 199.

35) L. c. p. 194. G. αἱ μετὰ σιγῆς ἀθυμίαι καὶ ἀπανθρωπίαι ἐπιεικῶς αὐτῶν κατεργαστικαί.

III. *Prognostica quaedam, quae magis deliria, quam insaniam spectare videntur.*

Inter effata, de quibus dubitari potest, valeantne de insania solum, an de deliriis potius, nonnulla nihilominus esse dignissima, quae commemorentur, censui. Talia sunt:

1. »Qui insania corripiuntur, aut per se a morbis liberantur, iis dolor pedes pectusve subiens, aut vehemens tussis suborta, insaniam solvit (τὴν μανίην λύει). Quodsi soluta insania nil horum accidit, caecitas sequitur« [36].

2. »Insanientibus (ἐν τοῖσι μανικώδεσι) accedens convulsio oculorum aciem retundit« [37].

3. »Vehemens animi motio ex metu cum perfrictione, si cui contingit, febres cum sudoribus et somni sermonem omnino intercipientes ab iis eum liberant« [38].

De ecstasi ἐκ φόβου supra quum satis dixerimus, nunc tacemus.

4. »Graviter et acute mente emoti, si febris iterum redit cum sudore, phrenitici fiunt [39].

Caput XII.

Ratio curandi.

I. *Generaliora quaedam de ea.*

»Mens et memoria etiam indigent cura medici [40],« et magis infra [41]: »mentis quoque intelligentia videnda est, ut per se ipsa con-

36) De judic. l. c. v. 30.

37) Coac. praen. p. 95. Nro. 485.

38) Ib. Nro. 483.

39) Praedict. I, p. 159. et Coac. praen. p. 130.

40) Epid. VI. sect. 6. p. 1192.

41) Ibid. p. 1201. v. 28.

stat etc.,« unus Hippocraticorum affatur. Qua vero in cura maxima ex parte per corpus in animum eos egisse, mox videbimus. Nec tamen omnino desunt loci, qui directam in animum curam praecipiant; sic Hippocraticus modo laudatus commendat meditationem et curam (φροντίδα) hominibus pro animi exercitatione [42]); quod certe morbos spectat, in quibus stupore mentis aegri vexantur. — Deinde illae regulae, in libris Hippocraticis mente affectis praescriptae, quae et ipsae animi curam spectare videntur, ut jejunium, ambulatio, abstinentia a rebus venereis, ad unum omnes tantum de corporis morbo valent, quod neminem, qui singulas affectionum animi species perlustraverit, fugiet. — De exorcismo quid statuerint Hippocratici, iam expositum est. Hunc quippe rejectum uti nusquam adhibuerunt, ita ne locus ullus quidem in illorum scriptis reperitur, qui flagellationes insanorum commendet, licet postea Asclepiades, maximus antiquitatis quod ad insanos medicus, posterioresque, eas utiles habebant.

Ne autem videamur celerius hae in re judicium ferre, omittentes, quae huc spectent, liceat nobis hic quoque ea commemorare, quae ab Hippocraticis non vera quidem insania affectis, sed somniis infaustis, ex quibus animi quaedam perturbationem futuram conjicere solebant, usis praecipiuntur. »Quae vero ex his (sc. sideribus),« auctor libri de insomniis inquit [43]), »nulla necessitate coacta huc vel illuc errent, animi perturbationem quandam ex sollicitudine (ψυχῆς τινα τάραξιν ὑπὸ μερίμνης) indicant. Huic autem confert, ut cum animi relaxationem exhibeat, tum animum ad jucunda maximeque risum moventia spectacula convertat. Sin minus, per biduum aut triduum ea spectet, ex quibus maximam voluptatem captet, et malum conquiescet, alioquin pericu-

---

42) Ibid. sect. 5, 10; p. 1184. Foësius ad hunc locum haecce adnotat (p. 1188. A.): »Haec sententia innuit mentis agitationem, commentationem et meditationem quandam esse exercitationem, in qua animus velut exspatians, mentis aciem acuit, excollitur et exercetur et sqq.« — »Ideoque quibus in morbis mens velut obstupescit et somno gravatur, ea intenti animi cogitatione sollicitanda est, et velut ad officium revocanda.«

43) Pag. 377, v. 40.

lum est, ne in morbum incidat.« Quae cum igitur prophylacticum sint, illis commendatum, quibus animi perturbatio ex sollicitudine imminere cognoscitur sive fictis sive veris signis, etiam excusari potest, quod haec attingenda hoc in loco credidimus.

Vera si sunt, quae Plato dicit 44), ante Herodicum curam morborum chronicorum valde jacuisse, cum Asclepias illos morbos solum curasset, qui externa vi exorti essent, forte aliquis etiam Hippocratem minus in curandis chronicis morbis, insania igitur etiam, versatum fuisse, quam acutis, concludere posset. Iam quantum ad insaniam attinet, num conclusio illa discrepare videatur ab iis, quae in Hippocraticis libris de insania tradita inveniuntur, inquiramus.

Diaeta, inprimis antiphlogistica, regimen, praecipue corporis motio, fotus, laxantia, rarius emetica, quibus, si adhibebantur, fotus plerumque antecedere solebat, ad sanandos insanos ab Hippocraticis commendata reperimus.

Diaeta antiphlogistica non solum in furiosis, sed etiam in melancholicis adhibita fuisse videtur. Omnibus enim ciborum abstinentia, quin etiam fere inedia, commendatur. In cibis eligendis haud parum curae adhibebant Hippocratici; inter omnes acria, salsa, pinguia calefacientia evitari jubebant. Neque carnis esum salubrem habebant. Pro potu vinum maxima ex parte denegabant; aqua utantur secundum eorum praescripta aegroti, et vino nonnisi molli, albo, tenui et diluto. De ceteris, quae ad diaetam et regimen attinent, cum singulas insaniae species spectent, mox agemus.

Diaeta maximi momenti, sicut in ceteris morbis, sic etiam in insania fuisse videtur, nam ex medicamentis duo solum nobis tradita sunt. Alterum est radix mandragorae, et alterum, quod omnibus notum est et compertum, summum illud veterum contra insaniam remedium, radix hellebori. Miserunt medici mente alienatos Anticyram, ut ibidem facilius commodiusque hoc remedio uti possint. Hicce Hellebori usus jam apud Hippocratem genuinum laudatur, in insania sicut in multis aliis, praecipue melancholicis, morbis. Qui quum nunc

44) De polit. ed. Steph. p. 405.

impari successu adhiberi videatur, factum est, ut multi recentiores medici de amisso veterum helleborismo tanquam remedio specifico doleant, ex. gr. Lorry et Arnold. At jam Langermann [45]) iure monuit, hellebori usum amissum non esse; nam ubi drastica indicata sunt, hic vires non denegat. Quare antiquis temporibus multo magis etiam insaniae infarctus intestinorum, sordes gastricae, humores corrupti in visceribus atonicis causae fuisse videntur. — Non aliter igitur in insania ac in ceteris morbis temporis Hippocraticorum, in omnibus gastricus et biliosus character praevaluit, ut praesertim in libris de morb. vulgar. videmus. Utrum hic solum in aëris constitutione, an quoque in victus illius temporis Graecorum ratione sita fuerit, accuratiore inquisitione adhuc indiget. Ad diaetam accusandam, qui Graecos scriptores legerit, facile inclinabit. Graeci, inter quos Hippocratici vixerunt, jonicae victus rationi, i. e. haud simplici atque modicae dediti fuerunt, ut ex libris de diaeta cognosci licet. Huc accedit, quod cibi, quibus maxime utebantur, non ad saluberrimos referri possunt. Piscium ingens copia, fructus ex muria, caro suilla, talia fuerunt, ex quibus coena eorum constitit. Quod ad hellebori usum apud Hippocraticos attinet, primum monendum est, hellebori nomen, nisi adjectivum »niger (μέλας)« adjiciatur, semper veratrum album innuere. In genuinis libris non nisi semel in suspecto loco [46]) hellebori nigri (ἐλλέβορος μέλας) mentio fit, ut ea aetate veratrum album (ἐλλέβορος λευκὸς) solum in usum vocatum fuisse conjiciamus [47]); cuius contra insaniam vis saepius laudatur. »Ἐλλέβορος μεμηνόσι κάρτα ὠφελεῖν εἴωθεν« Democritus inquit in colloquio cum Hippocrate [48]). Hic autem haec illi: »Accitus sum ad te insanientem veratro purgaturus [49]).« Idem Democritus jam dixerat: »venisti ad me helleborum insanis exhibiturus [50]).« — Etiam genuinus

45) Diss. inaug. de methodo cognoscendi curandique animi morbos. Jen. 1797. p. 7, 8.

46) De diaet. acut. p. 387.

47) cf. Sam. Hahnemann Diss. de helleborismo veterum. Lips. 1812. p. 7.

48) Ep. p. 1286.

49) Ib. p. 1287: ὡς μεμηνότα ἐλλεβοριῶν.

50) Ib. p. 1285: ἐπῆλθεν ἡμῖν ὡς μεμηνόσιν ἐλλέβορον δώσων. — Cf. dein de hujus purgationis vi: Ib. p. 1278, et 1286.

Hippocrates purgationem melancholicis commendat, ac liberaliorem quidem et pleniorem [51]), sub quibus purgationibus, ut maxima ex parte in Hippocrate, veratri ope institutas intelligendas esse, non dubitari potest. Helleborus nonnisi adhibebatur aegrotis chronicis, siquidem in exsequendis curis Hippocratici praeceptis obediebant, atque si praeceptum, quo nostra conclusio exorditur, auctoritatis cujusdam erat; »delirantes (παραφόρους) enim«, ut praecipitur, »non licet deorsum purgare helleboro« [52]). — Quid de indicationibus hellebori et ratione eum adhibendi notum sit, hic transeamus, cum de his omnibus Hahnemann fusius, quam nobis locus et tempus permitteret, disseruit.

II. *Quae de cura singulorum generum dicta sint.*

1. *Melancholia et amentia:*

De hellebori in melancholia usu iam in proximis egimus. — Quibus diathesis ad insaniam est ex mala aquae et ignis contemperatione, iis apta diaeta uti imprimis commendatur, quae ex duobus insaniae generibus diversa est. Homines, in quibus aqua ignem paululum superat, victus ratione, quae ad ignem magis accedit, usi, neque potionibus neque cibis sese expleant. Cursibus celeribus utendum est illis (ad evacuandam aquam), non vero lucta et frictionibus, sed potius ambulationibus post coenam, mane et post cursus.

Vomitiones commendantur, post quas cibi per quatuor dies pauca copia porriguntur. Ungere conducit. Rebus venereis uti magis nocet. — Postquam aqua tanto igni superior est, ut stolidi homines appellentur, victus ratio mutetur eatenus, ut solum cibos sicciores et pauciores sumant, labores autem plures et vehementiores obeant. Prodest etiam ut fomentis et ab iis vomitionibus utantur, et post vomitus ex longo inter-

51) Aph. IV. 6.: τοὺς δὲ μελαγχολικοὺς ἁδροτέρως τὰς κάτω, τῷ αὐτῷ λογισμῷ τἀναντία προςτιθείς. Illud ἁδροτέρως, quod est plenius, fortius ut Galenus quoque accipit, Duretus (l. c. p. 358, v. 40.) nescio cur, adverbio „serius" vertit.

52) Epist. p. 1288. Ibidem quoque omnes indicationes contra helleborum inveniuntur, quarum plures etiam ad insanos adhiberi possunt.

vallo cibos exhibeat, si minor vomitus contigerit. — Jam vero cum stolidi eo pervenerunt, ut imbecilles, quos nominavimus, sint, tum praeter victus rationem modo praeceptam et fomenta et purgationes e veratro adhibeantur [53]).

Methodus curandi illius morbi, qui φροντὶς nominabatur, diligentius, quam ceterorum exponitur [54]), verbis hisce: »Veratrum hoc morbo vexato propinato, et caput purgato; post capitis purgationem medicamentum per inferiora purgans bibendum exhibeto, et postea lac asininum. Cibis, quam paucissimis, nisi infirmis fuerit viribus, utatur, et frigidis alvumque subducentibus, neque avibus pinguibus neque etiam rebus dulcibus. Calida non lavet, neque vinum bibat, sed aquam maxime, si minus, vinum dilutum; neque corpus exerceat, neque obambulet.« — Haec est unica cura insaniae ab Hippocraticis praescripta, quae diaeteticas regulas cum medicaminum usu conjungit. Quamvis haec apta morboque congruens fuisse potest, tamen quis non miratur usum veterum hellebori? Cum enim victus ratio sit antiphlogistica, omnesque res irritantes vitentur, et de doloribus pungentibus aegroti queri dicantur, colligi potest, Hippocraticos helleborum irritans remedium non habuisse, alioquin non in illo morbo eum porrexissent. Sed postquam accuratius vires hellebori exploraverimus, mirari cessabimus; nam hoc remedium, quamquam acre, tamen vehementer alvum ducendo et fortasse etiam narcotica vi magnopere corpus debilitat, et digitali in eo simile est, quod celeriter vim pulsus frangit, eumque fere evanidum et imperceptibilem reddit [55]). Hactenus certe ceterae antiphlogisticae methodo, quam Hippocratici praecipiunt, non contrarius est helleborus.

Cura illius melancholiae, quam apud puellas et steriles mulieres ab Hippocraticis observatam descripsimus, brevissima est, nam nullum aliud remedium commendatur praeter nuptias, quas quam celerrime tales puellae ineant.

---

53) Loco jam saepius citato: De diaeta, p. 351.

54) De morb. II, p. 486. v. 39—47.

55) Cf. Vicat, plant. venen. de la Suisse p. 167. — Roedder in Alberti Iurispr. medic. observ. 15.

Qui mortem sibi consciscere cupiunt, usurpare mane radicem mandragorae, sed minori in dosi, quam quod furorem excitet, jubentur [56].

2. *Mania.*

De hoc insaniae genere aeque celeriter actum a nobis erit; nam fere nil nisi de diathesi ad illam sananda praecepta habemus.

Aegroto, qui quamquam adhuc sanus, tamen propter ignis dominationem jam aliquantulum a prudentia discedere incipit, victus ratio commendatur, »quae ad aquam magis spectet, eadem neque in cibis, neque in potionibus, neque laboribus modum excedens.« »Cursibus porro flexis et circensibus, luctis et reliquis exercitationibus utantur, neque tamen in ullo modum excedant« [57]. — Adultiori hac diathesi diaeta opus est, »quae magis etiam ad aquam spectat, quam prior. Conducit talibus, ut maza utantur potius quam pane, piscibus quam carnibus, potione etiam dilutiore, et venere rariore, et laboribus, qui secundum naturam obeuntur, maxime et quam plurimis; iis vero, qui per vim suscipiuntur, non nisi coacti. Vomitionibus autem post ipsas repletiones paucis utantur, (quo corpus quidem evacuetur, quam minime vero incalescat). Macescere (ἀσαρκέειν) illis ad prudentiam confert« [58]. — Haec cura certe antiphlogistica nominari potest, cum omnis carnis et vini usus his aegris vetetur, adeo macescere illis commendetur. — Subfuriosis »maza non subacta utendum est, et oleribus coctis, exceptis purgantibus, et piscibus ex muria.« »Quin etiam aquam bibere optimum, si fieri possit; sin autem non fieri potest, quod ad hanc proxime accedit, vinum molle et album. Ambulationibus quoque matutinis multis aeger utatur; a coena vero exsurgat. Potius aqua tepida autem circumfusa perfundatur, quam ungatur. Confert etiam aestate interdum somno uti breviore quam multo. Commodum etiam est vere antea vaporibus calefactos veratro purgare, deinde sensim ad victus rationem adducere; neque eos jejunos negotium obire oportet« [59].

---

56) De loc. in hom. p. 420. v. 20.

57) L. c. v. 8.

58) Ibid. v. 18.

59) Ib. v. 38 et sqq.

Non multum differt ab hac victus ratione, quae simul cum vomitionibus et hellebori usu illis praescribitur, quibus insania (μανῆναι) imminere, ex astrorum conditione in somno visorum concluditur. Verbotenus cura haec est: »His vero omnibus post veratri purgationem optime instituta victus ratione ad aquam tendente uti, expedit, neque vinum bibant, nisi album, tenue, molle et dilutum. Acribus, siccantibus, calefacientibus, salsis abstineant, laboribus secundum naturam plurimis utantur, et cursibus in veste plurimis. Frictio vero adsit, neque lucta, neque volutatio in pulvere. Per somnos molliter recubet aegrotus, et in otio degeat, laboribus secundum naturam exceptis et a coena obambulet. Prodest etiam fomentis uti, et a fomento vomere. Per triginta dies minime repleatur, ubi vero repletus fuit, cibariis sumtis dulcibus, aquosis lenibus bis in mense vomat« 60). — Quamquam haec curationis ratio accuratius exposita est, tamen, quia caret idoneis indicationibus, pro nostra re minoris nomenti est; quapropter eam hic ultimam posuimus. Sed mirum in modum haec victus ratio cum ea congruit, quae morbo φροντὶς appellato laborantibus praecipitur. Dein quoque, quum multa ex hac cum illis consentiant, quae in libro de diaeta commendantur, maxime solita curandi ratio insanorum haec fuisse videtur.

---

60) De insomn. p. 377.

APPENDIX.

Nr. I.

Ad pag. 44 *not.* 64: In contextu ita leguntur: *νοσήματα δὲ ἔχουσι, τραυλος, ἢ φαλακρὸς, ἢ ἰσχνόφωνος, ἢ δασὺς, ἰσχυρῶς μελαγχολικά. νοσήματα δὲ ἔχουσι, ὅσοι τῇ γλώσσῃ παφλάζουσι, χειλῶν μὴ ἐγκρατέες ἔοντες, ἀνάγκη λυομένων ἐμπύους γίνεσθαι.* Secundam enunciationem nihil magis quam primam edicere minime latet, nam verba solum mutata sunt, et ii., qui *παφλάζουσι*, et *χειλῶν μὴ ἐγκρατέες ἔοντες* iidem sunt ac *τραυλὸς* et *ἰσχνόφωνος*. Quum de iis iam dictum sit: *μελαγχολικὰ νοσήματα δὲ ἔχουσι*, cur tandem in altero enunciato repetitur: *νοσήματα δὲ ἔχουσι*, ad quod subaudiendum est *μελαγχολικά*? In libro de indicationibus (p. 55.) fere eadem sententia legitur, neque tamen praeposito illo *νοσήματα δὲ ἔχουσι*; verba *ἀνάγκη — γίνεσθαι* tum abrupte posita sunt, quae nisi cum *ὅσοι* et sqq. arcte cohaererent, non sine interiecto *δὲ* ita posita esse possent; nam quia quaedam anti thesisin illis continetur, cum sensus sit: balbutientes tam diu, quam balbutiunt, melancholicos morbos habent, postea vero ab hoc malo liberati, purulenti evadunt, requiritur, ut positum sit *ἀνάγκη δὲ* et sqq.; omnia igitur plana essent, si verba *νοσήματα δὲ ἔχουσι*, quae initio secundae enunciationis posita sunt, deessent; eaque delenda esse, exceptis illis rationibus, quas modo recensuimus, magis etiam patebit, si rationem, qua verba illa hoc in loco interpolata esse possint, consideraveris. In priori citati loci sententia *τὰ μελαγχολικὰ*, quod in fine eius positum est, ad antecedentes voces *νοσήματα δὲ ἔχουσι* referendum est, pluribus verbis separatum. Huc accedit, quod in praeceptis Hippocratis sola verba *μελαγχολικὰ, μανικὰ* pro *μελαγχολία, μανία* posita saepissime inveniuntur; eo magis igitur adnotatu dignum est, ad *μελαγχολικὰ* supplendum esse *νοσήματα*. Quapropter si glossator ad marginem sibi annotaverat post verbum *μελαγχολικὰ*: *νοσήματα δὲ ἔχουσι*, facile fieri potuit, ut sequens, qui transscripsit codicem, haec verba, margini inscripta, in contextum reciperet; quod ut faceret, eo facilius induci potuit, quod sententia antecedens etiam verbis *νοσήματα δὲ ἔχουσι* incipit. Consentiamus igitur Cornario et Calvo, qui iam in editionibus verba *νοσήματα δὲ ἔχουσι* omiserunt, quamquam quibus ex causis moti incertum est. — Attamen restat alia huius loci difficultas. Nam quomodo verbum *λυομένων* intelligendum est? *λύεσθαι* quidem est solvi, liberari, sanari, quod et de morbis et de aegrotis

dici potest, sed quo refertur *λυομένων*? Si *νοσήματα* antecederet, supplendum esset *νοσημάτων*, sed hoc propter sententiam fieri nequit. In loco ex libro de iudicationibus petito dicitur »*ἐὰν ταῦτα παύσηται*«. Hinc *ταῦτα*, non *νοσήματα* supplendum est; sed *ταῦτα* spectat ad illud balbutire et lingua haesitare. In nostro autem loco nihil nisi *λυομένων* positum est, ad quod *τούτων* supplendum esse censeo, ita ut verba sint: »*νοσήματα δὲ ἔχουσι, τραυλὸς, ἢ φαλακρὸς, ἢ ἰσχνόφωνος, ἢ δασὺς, ἰσχυρῶς μελαγχολικά. ὅσοι δὲ τῇ γλώσσῃ παφλάζουσι, χειλῶν μὴ ἐγκρατέες ἐόντες, ἀνάγκη λυομένων τούτων ἐμπύους γένεσθαι.*

Ἀνάγκη λυομένων τούτων ἐμπύους γίνεσθαι.] Voci *τούτων* insunt *γλῶσσῃ* et *χειλῇ*; *λύεσθαι* autem proprie de *γλῶσσῃ* et *χειλῇ* usurpatur; *λύεσθαι γλῶσσην* et *χειλῇ* est linguam et labia solvere, ab eo, quo eorum usus prohibeatur, liberare, expedire; cf. Arist. Histor. animalium lib. I. c. 11. *λελυμένη γλῶττα καὶ καταδεδεμένη*. Itaque sententia verborum: *ἀνάγκη — γένεσθαι* est: si haec i. e. lingua et labia solvuntur, suppuratio in partibus internis exoriatur necesse est. Quibus verbis eandem sententiam inesse, ac verbis illius exempli libri de iudicationibus, *ἐὰν ταῦτα παύσηται, ἔμπυοι γίνονται*, persuasissimum mihi habeo, dum verbis *ταῦτα παύσηται* nihil aliud subest, quam ab his malis, quae verbis *τῇ γλώσσῃ παφλάζουσι τῶν χειλέων μὴ κρατέοντες* exprimuntur, liberari.

Nr. II.

Ad pag. 46 *not.* 75. Illo loco citatus aphorismus VI., 56., unus ex genuinis Hippocratis, ut accuratius eum contemplemur, poscit. Uti nunc in libris legitur, hic est: *τοῖσι μελαγχολικοῖσι νουσήμασι ἐς τάδε ἐπικίνδυνοι ἀποσκήψιες, ἢ ἀπόπληξιν τοῦ σώματος, ἢ σπασμὸν, ἢ μανίην, ἢ τύφλωσιν σημαίνουσιν.* Quod ad singulas voces attinet, praemittendum est, *ἀποσκῆψιν* tum dici, si materia morbi in aliquam partem subito deiicitur. Interpretes huius loci vario modo sensum acceperunt, cum alii neglectis verbis *ἐς τάδε* pro *ἀποκίνδυνοι ἀποσκήψιες* »periculosi decubitus (?)« ponerent, dativum vero (*τοῖσι μελαγχολικοῖσι ν.*) genitivo (morborum melancholicorum) in versione mutarent; alii autem verba *ἐς τάδε* ad antecedentem aphorismum, sc. ad *τὰ ποδαγρικὰ* referrent. Verumtamen contra utramque interpretandi methodum habeo, quid moneam, cum nulla satis idonea ratione obscurum, quod loco inest, explanet. Galenus, praecipuus Hippocratis commentator, cuius auctoritas apud posteriores interpretes haud parva est, nihil nisi de bile ad hunc locum disserit. Difficultas loci vero in eo sita est, 1) quod insolitum apud Graecos est dicere: depositiones indicant *τοῖσι νοσήμασι*, quamsi morbi personae essent; et praesertim in Hippocrate talis usus verbi *σημαίνειν* et dativi offendit, quippe qui auctor, ubi voce *σημαίνειν* non utitur, omnino verbum omittit, ita ut *ἐστὶ* vel *εἰσὶ* supplendum sit, quod dativum non solum admittit, quin etiam poscere videtur, tamen *ἐν* vocibus, quae affectiones, in quibus aliquid praenuntiatur, designant, semper addit. 2) Non fieri potest,

quin verba ἐς τάδε nos offendant. Nam ὅδε, ἥδε, τόδε maxima ex parte secundum usum loquendi ad antecedentia spectant. Sin in nostro loco cum aliis τάδε ad ea, quae antecedunt, referimus i. e. ad τὰ ποδαγρικὰ, sensu caremus, nam quomodo tandem depositiones morborum melancholicorum in podagram possunt producere apoplexiam, convulsionem, maniam et caecitatem? E contrario, haec optima esset morbornm melancholicorum depositio. Inita vero altera, quae superest, via, si τάδε ad sequentia spectare ponimus, illae methodi, quae sese offerunt, sensui non satisfacere possunt, nisi antea interpunctio aphorismi mutata est. Nam si medelam ullam huic loco afferre conamur, primum colon inter ἀποσκήψιες et ἢ ponatur necesse est; quo facto sensus nullo modo turbatur. In priori positione tum εἰσὶ supplendum est, quod in plerisque aphorismis omissum est. Nunc σημαίνουσι non amplius nos offendet. Si quis vero nondum hac medela contentus dativo adhuc offenderetur, huic non obstarem, quo minus in initio aphorismi ἐν adderemus, nam in ceteris similibus sententiis Hippocrates non solet hanc praepositionem omittere. Hoc videri licet ex. g. ex aph. VII. 1. Attamen ἐν non prorsus necessarium censeo.

Quod iam explicationem verborum ἐς τάδε attinet, ut aphorismus nunc positus est, nil aliter nisi, quamquam indefinite, tamen demonstrative in sequentia dictum esse potest; neque »in has partes« quidem neque, »in illos morbos (qui sequuntur)« indirecte sub ἐς τάδε intelligendum est; sed dictum est, ut nostrum »dahin«, in hunc modum, in hanc directionem; »depositiones in hunc modum periculosae esse possunt«, et quae hanc enuntiationem sequuntur, accuratius illud ἐς τάδε exponunt. Periculosae eam ab causam depositiones sunt, quia indicant apoplexiam etc. Haec est de mea sententia unica explicatio, quae, nisi emendatione loco succurrendum esse censeamus, defendi potest. — Praeterea vero aliam adhuc conjecturam reticere non possum. Me enim suspicari confiteor, ante nostrum aphorismum alium positum fuisse, ad quem melius ἐς τάδε referri possit, quam ad illius verba, qui nunc hunc locum tenent. Facillime certe series aphorismorum mutari potuit, praesertim cum generatim nihil interesse videretur, num priores an posteriores positi sint. Haec hypothesis eo quoque confirmari videtur, quod facile pars inveniri possit, caput nempe, ex cujus affectione, depositone periculosa in id facta, apoplexia, convulsio, furor et caecitas originem ducere possunt.

Nr. III.

Ad pag. 52. *Nr.* 7. Maxima interpretum pars mutilatum hunc nostrum locum habet, melioremque ad sensum eruendum alium ex libro de iudicationibus contendit, magna ex parte a nostra scriptura discrepantem: ἢ ὀδύνη ἰσχυρὴ ἐν τοῖς κάτω χωρίοις λύει. ἢ κυφότης. ἢ αἷμα πολὺ ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυέν, ἢ μανίη τοῦ μεγάλου νοσήματος, ἐν ἔθει γενομένου λύσις. Ex hoc enunciato Cornarius aliique nostro »τοῦ μεγάλου — λύσις« addunt, ita ut sententia prorsus alia mutata sit; quam in versione Foësii his verbis legere potes: »Validum inferiorum partium dolorem surditas allevat, et sanguis ex naribus profluens. Furor

magnum morbum (sic enim comitialem vocant) solvit, sed eum praecipue, qui ex invadendi consuetudine paene familiaris factus est.«

Si vero ex illo loco nihil adiungitur, noster sic expediendus est. Quum primum haud fieri potest, quin id offendat, quod insania sanguinem e naribus profluentem sistere dicitur, quia epistaxis alias furiosis saluti esse solet; αἷμα pro nominativo accipiendum nobis videtur, qui (sanguis) ut κωφότης et μανίη dolorem in inferioribus partibus solvit. Hunc ad finem nil nisi illud ἡ ante μανίη in ἢ mutare oportet, quod ne correctura quidem nominari potest. Sensus tum hic: »Validum inferiorum partium dolorem surditas allevat, et sanguis aut insania.« Quod ad quaestionem attinet, verane haec sit enuntiatio, eam fortasse defendi posse puto. Saepe enim suppresso dolore podagrae aut ischiadis caput afficitur, unde surditas, caecitas furorisque etiam impetus exoriri possunt. Tum sanguis e naribus prorumpens capitis mala solvit, itaque etiam morbo primario prodest. Dein etiam fieri potest, quod jam attigit Calvus, qui hanc scripturam defendit, ut tantus oriatur dolor, qui in insaniam erumpat.

Nihilominus autem confiteamur necesse est, additis ad nostrum locum istis verbis, meliorem eius fieri sensum. Quamquam, uti diximus, libri de judicationibus auctoritas male comparata est, et in loco modo laudato nonnulla emendatione indigent, tamen in libro II. epid. noster locus magis etiam corruptus est. Quare quum ad eum in integrum restituendum denuo iam ad alterum refugerimus, non haereamus amplius, sed addamus illi cum aliis ea, quae in libro de jud. inveniuntur.

FRIDERICUS NASSE FILIO

S. D. M.

Quod Deum tam saepe ab imo pectore sum precatus, ut litterarum studio nostroque amori te reddat refectum, Ejus beneficio nactus, iam gratissimo laetor animo, cum te, e gravi morbo restitutum iterumque strenuo animo litteris ac aegrotorum curae deditum, ad hunc diem video pervenisse, quo, labore tuo academico peracto, doctoris in arte nostra dignitas omnia, quae studiis hucusque exercitis promisisti et ad quae te adcinxisti, solemni adactione sanciet, teque ad artis medicae aegrotorumque indefessum studium, pro omnibus tuis viribus atque opibus et dum aura tibi erit, arctissime adstringet. Macte esto virtute! Faxit Deus optimus, Ille, qui supplices exaudire vult, ut bene et feliciter haec tibi cedant!

Quae patrem non decent, tibi gratulari de examine cum laude superato et de dissertatione tua diligenter et tuo plane Marte elaborata, omissis, haud tamen possum quin reticeam, quantopere efferar laetitia, quod, hoc doctoris munere tibi collato, tecum, tum ad litterarum studium, cum ad aegrotorum curam ab hoc tempore arctius ero consociatus. Quid patri exoptatius, quam sibi et filio de tali felicissima communitate posse gratari!

Quo recens accepto beneficio ut protenus iam utamur, quaedam, quae argumentum tuae dissertationis in aliam partem prosequuntur, breviter adiungam. Neque paucis Hippocraticorum de insania praecepta, quantum probati illis insit, cum illis quae nunc de hac affectione inter medicos valent, comparare, exposita illorum a recentioribus spectata recensere, neglectaque vindicare, huic loco videtur alienum.

I. Ad ea, quae de Hippocrate, ubi corpus inter et animum rationem considerat, disseruisti, primum quaedam, quae addam, habeo. Doctrinam de insania rerum divinarum quidem memorem, et, spectata illius origine, haud inanem, superstitione tamen imbutam et vi medendi inopem nobis offert ante Hippocraticos aetas. Ita quoque Hippocraticorum aequales aegros a diis percussos, expiatione et incantatione ad sanitatem restituendam indigere opinabantur. Alii huius aetatis scriptores, vitam vitiosam cum insania commiscentes, hanc nisi ex perditis moribus ortam, solumque sequi virtutem pro illius praesidio habebant; alii autem non quidem culpam neque iratum deum, sed modo mentis errorem insaniae subesse rati sunt, desidiam animi et ignorantiam ab illa distinguere nescii.

Laudem igitur habeamus Hippocratis eorumque, qui ab illo profecti sunt, quod, rem ocultam in lucem proferentes, veram originem insaniae extra dubium posuerint. Deorum iram insaniae causae esse incantationumque vim reiiciebant; de insania ex peccato nihil apud eos invenitur; mentis quidem errorem in isto malo haud praetereuntes, corporis tamen affectionem rei caput habent. Ad cuius curam medicus ab iis ducitur; quomodo medicina insaniae subvenire liceat, exponitur. Quidquid ante eos de indole et cura insaniae exploratum fuerit, quidquid ab aliis acceperint, naturae consentanea confirmant, disiecta componunt. Quamquam enim, ut fertur, quondam Melampus iam Helleboro ad insaniam depellendam usus fuerat, et Democritum cadavera ad huius naturam et sedem illustrandam pervestigavisse dicunt, tamen neque his narratis omnem fidem tribuendam neque Hippocraticorum exposita valde ab illis definitiore expositione diversa esse, haud omittere licet. Quae Plato in Timaeo egregie de animo insanorum per corpus aegrotante disserit, cum multum differant ab iis, quae in Phaedro de natura insaniae exposuit, illum in dialogum, Phaedro sine dubio posteriorem, Hippocraticam doctrinam de origine insaniae se insinuasse, haud veri est dissimile; quae vero neque in hoc dialogo nisi cum doctrina de aequalitate insaniae et libidinis commixta profertur.

De natura insaniae quae recentiores exquisita habent atque probata, si iam cum Hippocratis opinionibus et praeceptis comparaveris, haec et illa optime consonare te non latebit. Sunt quidem altera ex parte et nostrae aetatis medici, qui expiationes et excantationem ad insaniae curam reducere enituntur; sed quid nisi inepta in hunc finem interponenda habent? Qui ethicam aestumationem in iudicio de insania esse adhibendam et hisce diebus repetunt, certe non consideraverunt, quam saepe ex corporis affectu post vitam, qualenus mortalibus congruit, integerrimam, insania, sicuti amentia a teneris annis, inveniatur, neque respexerunt ad illos, qui a gravi animi malo ea arte, quae penes medicum est, restituebantur, dum numquam sola praecepta de bono et honesto mentis errorem removere pollent. Quomodo denique ratio psychologica sufficiet ad explicandam tum illam, qua mens in insania vincitur, necessitatem, tum medicinae, quae corpus mutat, insaniam debellandi vim? Multum autem abest, ut his rem expediamus, cum non nisi anthropologice illa considerata, corporis scilicet simul cum animo ratione habita, insaniae originem atque medelam cognitas habiturus sis.

Quae cum perpendimus, elucet, ea, quae Hippocratici de hac insaniae natura sentiebant, ipsa etiam nostra aetate, qua diverse de hac natura imaginati sunt medici, sola vera et recta esse agnoscenda. Recentiores, de explicatiore corporis cura animique regimine, quod directius illum adgreditur, sane non parum meriti, veterum doctrinam quidem excoluerunt, nec tamen novam et praestantiorem condiderunt. Si quis autem de neglecta apud Hippocraticos animi cura in illos invehere voluerit, ne illorum tempore, si ea, quae ipsi libri Hippocratici offerunt, spectamus, insaniam ex impetu in animum rariorem fuisse, eisque in libris de insaniae medela nusquam nisi in transitu et solum de cura morbi ipsius, non autem convalescentiae, quae imprimis regimen mentis postulat, disputatum esse, obliviscatur. Quibus autem locis de insania sub morbi tenore locuti sunt, iniuste, quod animi affectionem, quae secundum accuratiorem rei disquisitionem insaniae modo symptoma est, pro tali habuerint, vitio illis verteremus. Igitur quoque Hippocrati nihil detraheretur, si Platonis in Charmide locum, quo medicus thracius graecos medicôs ob animi curam in morbis ne-

glectam reprehendit (Ed. Steph. p. 156.), in illum transferremus, quem Plato ipse in loco Phaedri satis noto (ib. p. 270) corporis naturam absque totius (τοῦ ὅλου) cognitione non comprehendi posse affirmantem inducit.

II. Valde me allexit, quod te in tua dissertatione video argumentari, in Hippocraticis libris animi insanientis affectionem imprimis in intellectu perturbato poni. Qua in re iterum sese nobis offert penitior insaniae cognitio, quae multos recentiores, et nostratum quoque nonnullos, praeterivit, qui, quo saepius de morbis, ut vocant, voluntatis, de coeco animi adpetitu, de mania sine delirio aliisque eiusmodi animi affectibus, accuratiore observatione neque comprobatis neque a Hippocraticis commemoratis, verba faciunt, eo minus hanc intellectus perversitatem, in qua nititur insania, curare operae pretium habent.

Quod aliquis mente errat, et quidem necessarie errat (quia scilicet a corpore ad errorem trahitur), illa est animi conditio, qua insaniae natura continetur, a Hippocraticis, sicuti adnotasti, nomine παράνοια, et a Cicerone et Horatio latino verbo »error mentis« designata. Quam varie simul cum hoc errore sentiendi et adpetendi actio in insanis afficiatur, essentiam insaniae eo sisti affirmare non licet, cum utraque functio graviter alienari potest, quin hanc ob rem aliquem insanire diceres. Quae quidem inter insaniae formas reperiuntur discrepantiae, ab eiusdem complicatione cum sensus et cupiditatis abnormi conditione dependent; nihilominus in mentis perversitate cardo rei vertitur.

Complura abs te de affectionibus, quae animum sub ipsam insaniam movent, commemorata, Hippocratici quo acuto fuerint ingenio, qua iudicii subtilitate, optime comprobant. Sufficiat hic eorundem observationes de perturbationibus sensus externi, quibus in quadam insaniae specie auditus et visus, nequaquam tactus afficitur, de tarditate ingenii in amentia conspicua, deque dolore per insaniam prohibito, adnotasse. Hippocraticos nihilominus falsis de animi insanientis natura opinionibus sese abstinuisse, cum neque de animi depravatione, neque de illius in inferiorem conditionem demersione, de quibus multa verba faciunt nostrae aetatis scriptores, quicquam tradidisse, certe illis laudi est. Quod autem de ecstasi ferina apud illos invenitur, cum iam a Galeno ad so

lum habitum aegrotorum externum referatur, ad hocce argumentum non pertinere, satis ex dissertatione tua elucet.

III. Quae de divisione insaniae ab Hippocraticis secuta exposuisti, quam arcto illorum doctrina cum praeceptis nostratum coniuncta sit vinculo, ostendunt. Distinguunt enim melancholiam, licet illam non prorsus diversam esse volunt a mania; mentis in utraque affectionem natura rei non prorsus discrepare agnoscunt; quae igitur eorum sententia cum illa, quam novissimus quidam scriptor illis tribuebat, parum congruit. Adde, quod delirium et chronicam insaniam, quantum ad mentis affectionem adtinet, non diversa iudicant, quae illorum sententia iterum cum eo, quod ex accurata huius affectionis consideratione sequitur, optime consonat. Timor terrorque ut melancholiae additus sit, non poscunt; qua in re illis item, quae quotidiana experientia docet, accedit. Quamquam amentiae ab illis vix ulla ſit commemoratio, nihilominus tamen contendi potest, eos, sicuti nos quoque, et quidem re accurate considerata, facimus, hanc affectionem non secrevisse ab insania, quum obliviosos inter insanos numerare soliti sint, gradusque diversitate in natura morborum ipsa nihil mutetur.

Missis igitur rebus specialibus, in quibus Hippocratici non minus, quam recentiores, errori sunt obnoxii, momenta praecipua, quibus illos ad insaniae divisionem, qualem novimus, ductos videmus, cum iis, quae ad divisionem eiusmodi faciendam nunc plurimum videntur dare iuris, optime consociari posse non negabis. Prouti errorem mentis magna hebetatio, aut continua ejusdem rei et tenax cogitatio, aut sensus valde irritabilis dispositio et inde exorta actionum violentia comitatur, aut amentia oritur, aut melancholia, quam ore nostro *Wahnsinn* dicimus, aut denique mania, quam hodie *Tobsucht* appellant. Propter desidiam mentis, quae in hebete reperitur, huic certae cogitationis persequendae facultas adempta est, neque sensu quodam abnormi aut falsa cogitatione excitatus vehementer effervescere valet; melancholicus autem uni inhaeret cogitationi propterea, quod tranquillior est maniaco, quem animus maxime irritabilis, quo minus uni cogitationi inhaereat, impedit, hancque ob causam generalis potius, ut ajunt, insania occupat.

IV. Stat profecto sententia, quae insaniam ex alienatione corporis pendere affirmat, stabitque, quaenam licet opinionum commenta illi opponantur. Qua doctrina nobis tradita tam egregie de arte nostra Hippocrates meritus est, ut vel propter eam unam memoria ejus in omne tempus laude celebranda sit. Discrepant quidem libri Hippocratici in constituendo eo, quae corporis affectio in causa sit, cur oriatur insania: at vero hoc ipsum, quod non in una parte rem ponunt, laudi magis iis est quam vituperio, cum vel nostra aetate illam adhuc sub judice esse confiteamur necesse est.

In tanta difficultate Hippocraticos a via recta, qualem hodie videmur nobis munire posse, non decessisse, maximopere sane mirandum est. Magnusne fuerit error eorum, qui in sanguine malum corporis positum judicaverunt, nec ne, id quidem nescio, quum neque ea, quae de sanguine insanorum comperta habemus, neque quibus functiones corporis vexantur symptomata, huic latici exiguam tantum in insania partem tribuendam esse comprobent. Abdominis vero temperationem abnormem ad insaniam producendam plurimum conferre (de quo item Hippocrates, uti colligere licet ex iis, quae de insaniae curandae methodo ab eo traduntur, non dubitavit), etiam recentiores non infitiantur. Cordis ad gignendam insaniam vim a majoribus nostris minus quam ab hodiernis medicis neglectam ignorare nunc non magis licet. Cerebrum postremo, etsi non ab omnibus Hippocraticis pro ea parte habetur, quam unam in insania maximi observes, neutiquam tamen ab illis neglectum cognoscimus.

V. Scriptione tua quae de insaniae crisi, qualem Hippocratici statuerint, tradita accepimus, ea et majoribus nostris et nobismet ipsis vario modo sunt comprobata. Hippocrates enim uti primus de crisi praecepta generalia exposuit, ita etiam dispositionis, quae in insania ad crises subeundas invenitur, eam dedit descriptionem, ut recentiores ejus oblivisci quidem, minime autem eam negare queant. Nullam dissertatio tua offert crisin, cujus hodie quoque non inveniantur exempla (Vide Koechlingii, quae Bonnae prodiit, de crisibus insaniae dissertationem p. 5, 20, 23 etc.).

At quantum in curanda insania medici proficere potuissent, si hanc curam ea via, quam natura ipsa in crisibus patefacit, persequi maluissent, quam opinionum commentis de animo insanientis ex prava cupidine et irreligiosa imaginatione eripiendo inhaerere!

VI. Jam quod ad insaniae curandae rationem ab Hippocraticis commendatam attinet, haud sane praetereundum est, in eorum libris, quamvis copiose ea de re non tradiderint, nullam earum medendi rationum, in quibus curatio morborum nititur, neglectam esse. Animum recta via affici posse (cui curae nunc methodi psychicae nomen tribuere solent), indicatur. Non minus ratio ea, quae corpus infestando animum afficit, (quam hodie methodum in animum indirecte agendi vocarunt), commendatur. Antiphlogistica illa, quae ad corpus pertinet, tam evacuans, quam sedans, magna extollitur laude; neque deest excitans. Primum tamen locum habet antagonistica. Si quis autem nunc cum Hippocraticorum medicinam erga insaniam faciendi ratione illam, qua hodie in hunc morbum, utimur, conferret, memoratu sane dignum inveniret, quod sanguinis detractionem omnino non commemorant, remedia irritantia raro, saepissime autem vomitum, sedantia et antagonistica afferant, quae quidem contra insaniam auxilia et nostro tempore, quo crebrior observandi opportunitas medicinam augebat, imprimis laudare cogimur.

Ab Hippocraticis quum nusquam neque de verberibus medicinae instar insania affecto infligendis, neque de aliis aegrotorum vexationibus remedii loco habitis commemoratum sit, non solum illorum humanitati documento est, sed etiam sententiae, quam de discrimine insaniae ab animi pravitate ferebant, consensionem cum illa Platonis ostendit, qui in Timaeo (ed. Steph. p. 86.) de animo illius, quem corpus insanire facit, haec egregie habet: *νοσοῦσαν καὶ ἄφρονα ἴσχων ὑπὸ τοῦ σώματος τὴν ψυχὴν, οὐχ ὡς νοσῶν ἀλλ' ὡς ἑκὼν κακὸς κακῶς δοξάζεται.*

Haecce primo de argumento, ad quod communiter animum adplicavimus, locutus, spero fore, ut in posterum plura et quidem graviora conjuncti agamus. Jam cum laetitia affectus laborisque impatiens animus scribendi finem facere jubet, id unum, quod mihi hac festa die in votis est, ad hujus etiam epistolae finem non possum quin repetam. Quae exordiris, ad vitae tuae sanctitatem tibi succedant, valeantque studiorum quibus haec alma nostra te aluit, ad laudem, aegrotisque, qui tuum auxilium dehinc advocabunt, ad salutem! Vale, deus tibi sit praesidium et consilium, illo prospiciente felix ad nos redeas!

Ex officina typographica C. F. Thormanni.